5


CONSTITVTIONES ET DECRETA ECCLESIAE ANAGNINAE.

Edita, & promulgata in Synodo Diœceſana anno Domini M.D.XCVI.

A REV.MO D.

GASPARE VIVIANO VRBINATI,

Eiuſdem Eccleſiæ Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ex Legato Illustriss: Cocini.

ROMAE,
EX TYPOGRAPHIA EXTERNARVM LINGVARVM

Apud Iacobum Lunam Anno M. D. XCVII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

GASPAR VIVIANVS

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA, EPISC. ANAGNINVS.

Vniuerſo noſtro, & Vrbis, & Diœceſis Clero, ac reliquis fidelibus Salutem in Domino.

POſtquam noſtræ Diœceſis viſitationē abſoluimus, & ſicut officij noſtri ratio poſtulabat, tam in Ciuitate, quàm extra, quæque ad diuini cultus amplificatio-

nem, clericorumq. vitam conſo
mandam, & cunctarũ animaru
profectum facere videbantur, a
curatè, plenèq. nouimus: Stati
animum noſtrũ adiecimus, vt gr
uiſsimo Sacri Concilij Tridenti
decreto ſatisfacientes, Diœceſar
Synodum cogeremus. Verũ ali
aſſiduè diſtenti impedimentis, i
prius, prout nobis cordi erat, præ
ſtare nequiuimus. Nunc igitur pi
ſalutareq. opus huiuſmodi, diuin
ope aggreſſi; quæ in hoc conue
tu à nobis ex eiuſdem Trid. Con
& aliorum ſanctorum Patrum, a
ſanctæ Romanæ Eccleſiæ decr
tis; necnon ex alijs prædeceſſoru
noſtr

Digitized by Google

noſtrorum cõſtitutionibus reuocanda, ſancienda, & édenda pro Diœceſis noſtræ conditione cenſuimus: ea vobis, vti certam Chriſtianæ pietatis regulam proponimus. Hortantes, ac per viſcera miſericordiæ IESV CHRISTI Saluatoris noſtri vos omnes, & ſingulos obſecrantes, vt non æquo ſolum; ſed libenti etiam animo obedientiæ ſpiritum adhibentes illa deuotè excipere, ac fideliter in omni Iuſtitia ſeruare ſtudeatis. Namq. ſi noſtram modo, vt decet, Paſtoris vocẽ audieritis; quod nihil nobis optatius pro veſtra ſalute eſſe poteſt: ſperandum quoque vobis

erit

Digitized by Google

erit fore vt, cum ſummus ille animarum Paſtor venerit Chriſtus Dominus, vos in ſuis agnoſcens ouibus, ad æternæ Beatitudinis paſcua vocare dignetur.

Digitized by Google

IN nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, PATRIS, & FILII, & SPIRITVS Sancti.

CONSTITVTIONES ET DECRETA ECCLESIAE ANAGNINAE.

Edita, & promulgata in Synodo Dioeceſana, coepta die quarta, abſoluta die quinta Martii, Anno M.D.XCVI.

De Fidei profeſsione. Cap. I.

CVM præcipua Paſtorum cura verſetur in tuenda, inuiolatèq. ſeruanda Orthodoxa, & Catholica fide, quam Sancta Romana Eccleſia colit, & docet. Ideo confeſſionem fidei eiuſdem ante omnia præmittẽtes, eamq. vti clypeum, & noſtræ ſalutis galeam aſſumentes, ac profitentes omnes in hac Sancta Synodo legitimè in Spiritu ſancto congregati, vna oris confeſsione, iuxta Sac. Conc. Trid. præſcriptum, & formam in bulla fel. rec. Pij Quarti traditam, dicimus, credimus, & profitemur omnia, & ſingula quæ continentur in Symbolo fidei, quo eadẽ Sancta Mater Eccleſia vtitur videlicet.

Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. de reform.

Ann. 1564. idib. Nouẽbris.

Credo

Digitized by Google

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem facto
cæli,& terræ,viſibilium omnium,& inuiſibilium. Et in
num Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitun
Et ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo,l
men de lumine: Deum verum de Deo vero. Genitum
factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia fac
ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſal
tem deſcendit de cælis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſanc
ex Maria Virgine, ET HOMO FACTVS EST
Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato paſſus,
ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcriptura
Et aſcendit in cælum,ſedet ad dexteram Patris. Et iteru
venturus eſt cũ gloria iudicare viuos & mortuos,cuius
gni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum,
viuificantem,qui ex Patre, Filioq. procedit. Qui cum P
tre,& Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui loc
tus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam,
Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in
miſsionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mo
tuorum, & vitam venturi ſęculi, Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones,reliquaſq
eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firm
ſimè admittimus, & amplectimur. Item ſacram ſcript
ram,iuxta eum ſenſum,quem tenuit,& tenet Sancta M
ter Eccleſia; cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interp
tatione ſacrarum ſcripturarum,admittimus, nec eam v
quam niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accip
mus,& interpretabimur. Profitemur quoque ſeptem e
verè,& propriè ſacramenta nouæ legis a Ieſu Chriſto I
mino noſtro inſtituta,atque ad ſalutem humani gener
licet non omnia ſingulis neceſſaria; ſcilicet Baptiſmu
Confirmationem,Euchariſtiam,Pænitētiam, Extrema
vnctionem,Ordinem,& Matrimonium,illaq. gratiam
ferre,& ex his Baptiſmum,Confirmationem,& Ordine
ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque,

app

approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipimus, & admittimus. Omnia, & ſingula quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt amplectimur, & recipimus. Profitemur pariter in Miſſa offerri Deo verũ proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem vnà cum anima, & diuinitate D. N. Ieſu Chriſti, fieriq. cõuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus; & totius ſubſtãtiæ vini in ſanguinem; quam conuerſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fatemur etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtũ verumq. ſacramentum ſumi. Conſtanter tenemus Purgatorium eſſe, animaſq. ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter & ſanctos vna cum Chriſto regnantes venerandos, atque inuocandos eſſe: eoſq. orationes pro nobis offerre; atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſerimus imagines Chriſti ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum ſanctorum habẽdas, & retinendas eſſe; atque eis debitum honorem, ac veneratione impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq. vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmamus. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omniũ Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſcimus. Romanoq. Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondemus, ac iuramus. Cætera item omnia a ſacris canonibus & œcumenicis Concilijs, ac præcipue a Sacro ſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipimus atque profitemur; ſimulq. contraria omnia, atque hæreſes quaſcumq. ab Eccleſia damnatas, reiectas, & anathematizatas, & nos pariter damnamus

Digitized by Google

reijcimus, & anathematizamus. Hanc vero Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profitemur, & veraciter tenemus, eandem integram, & immaculatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè Deo adiuuante retinere, & confiteri atque à noſtris ſubditis, vel illis quorum cura ad nos in noſtro munere ſpectabit teneri, doceri, & prædicari quantum in nobis erit curaturos; nos ijdem ſpondemus, vouemus, ac iuramus. Sic Deus nos adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Conci. Trid. ſeſſ. 24 c. 12.

Præſcriptam autem fidei profeſſionem ex eiuſdem ſe. re. Pij Quarti Bulla omnino facere teneantur, quicumq; beneficia Eccleſiaſtica, curam præſertim animarum habentia, Dignitates, Canonicatus quouis modo obtinent; vel in poſterum obtinebunt: quiue ad doctorales, vel magiſtrales gradus promoti fuerint: Nec non omnes publicè vel priuatim Grammaticam, atque alias quaſcumque artes profitentes, legenteſue ſub pœnis in eadem Bulla contentis. Nec quiſquam ad Doctoratus gradum aſſumptus, ſuæ facultatis officium exerceat; niſi prius de emiſſa profeſſione coram nobis, aut Vicario noſtro legitimè docuerit, ſub pœnis in eadem Bulla comprehenſis ac alijs ex arbitrio noſtro imponendis, & applicandis.

De Canonicatibus vero, & alijs Eccleſiaſticis dignitatibus ac beneficiis prædictis, qui in poſterum à Santa Sede Apoſtolica, ſeu à nobis prouiſi fuerint; præcipimus, & mandamus; vt a die adeptæ poſſeſſionis ad minus infra duos menſes in manibus noſtris, ſeu Vicarij noſtri Generalis, & etiam in Capitulo noſtræ Cathedralis Eccleſiæ cum ad illud ſpectauerit, prout hactenus ſeruatum fuit, coram Notario publico, & teſtibus fidem eandem emittere teneantur ſub pœnis in ſacro Concilio Tridentino contentis.

Annibal de Graſſis Epiſ. Fauentinus & Viſitator Apoſt. dec. 4. car. 3.

In fidei autem profeſſione facienda præcipue obſeruetur, vt publicè, ac palam ab omnibus fiat adhibita præmiſſa

miſſa verborum forma. Et Cancellarius Curiæ noſtræ Epiſcopalis in peculiari libro eam adnotare debeat, cum ipſius profitentis ſubſcriptione, ad perpetuam rei mem.

De Hæreticis. Cap. ij.

CVm ad conſeruandam Catholicę fidei integritatem, illud potiſſimum pertineat; vt Eccleſiarum Rectores quam diligentiſſime perquirant, & inuigilent, ne ex infecta aliqua radice latēter virus aliquod ſubrepat; quod Gregem Domini quoquomodo inficere, vel corrumpere queat; Archipresbiteris, ac omnibus aliis per Ciuitatem, & Diœceſim noſtram animarum curam habentibus diſtrictè præcipimus, & mandamus; vt in eorum Parochiis in primis caueant, nè à rudibus, & literarum ignaris conuenticulæ fiant; in quibus de his quæ ad fidem pertinent diſputetur: ſtudeantque vt populus fidelis prauis nouitatibus exploſis in Dei timore ſtabilis perſeueret; & in Catholicæ Religionis obſeruantia magis in dies proficiat. Curent ijdem Eccleſiarum Rectores per ſe ipſos, ſeu per alios ſanæ doctrinæ Religioſos, & a nobis approbatos viros in eorum Eccleſijs ſermones pios, ac deuotos frequenter habere.

In perquirendis autem hæreticis, & de finibus noſtræ Diœceſis prorſus tollendis; vt per nos, quod noſtri muneris eſt adimpleatur; Parochis omnibus mandamus; vt diligenter animaduertant; an in eorum Parochiis quiſpiam commoretur; qui praua aliqua ſit ſententia imbutus; ſeu de hæreſi ſuſpectus; eumque ad nos ſeu Vicarium noſtrum, cuiuſuis gradus conditioniſue fuerit quamprimum deferant.

Moneant præterea populum, teneri omnes; ſi quos ex eorum verbis ſeu factis quoquomodo de hæreſi ſuſpectos nouerint; ſtatim ad nos deferre.

B 2 Obſer-

Digitized by Google

Obſeruent inſuper omnes, & ſingulos, qui ex hæreticorum prouinciis huc aduenerint, & de eorum moribus, ac vitæ conſuetudine ſedulo perquirant, vt ſi quæ de illis ſuſpicio oriretur nos ſtatim admoneant.

De libris prohibitis. Cap. iij.

VT de libris vetitis id omnino in hac Ciuitate, & Diœceſi noſtra ſeruetur, quod in poſteriori indice cum ſuis regulis iubetur, diſtrictè mandamus, omnibus ac ſingulis Chriſtifidelibus, tam in Ciuitate quam alibi in Diœceſi noſtra commorantibus, ne libros quauis ratione prohibitos penes ſe retineant, legant, ſeu alijs legendos tradant. Si quis vero quempiam nouerit libros ex Indice, ſeu alios vetitos penes ſe retinentem, ſeu legentem; ipſum ſtatim ſub excommunicationis pœna ad nos deferre teneatur.

Monemus quoque eoſdem omnes, ac ſingulos fideles; ne temere ſacræ ſcripturæ verbis, ſeu ſententiis abutãtur, ſeu ad iocum, aſſentationem, contumeliam, ſuperſtitionem, impietatem, ſeu ad prophanum aliquem vſum proferant ſub pœnis ex Sacri Conc. Trident. decretis.

Seßio. 4. in dec. de Edit. & vſu ſac. lib.

Et vt deteſtabilis hæc licentia prorſus vbique tollatur: mandamus vt de criminis huius enormitate Populus per Concionatores, Parochos, Confeſſores, & alios Eccleſiarum Rectores ſæpe admoneatur.

De Verbi Dei Prædicatione. Cap. iiij.

PRoprium Epiſcopale munus noſtrũ agnoſcentes, quod in grege Domini paſcendo, ac in fide diligenter erudiendo

diendo verſatur, quantum cum Dei auxilio poſſumus illud pie fideliterque adimplere optamus cordique nobis eſſet; vt feſtis diebus nuſquam intermitteretur. Verum quia per nos ipſos ſalutare hoc munus vbique exequi nequimus; propterea vnicuique Parocho, & aliis animarum curam gerentibus in oppidis noſtræ Diœceſis; mandamus; vt ſingulis diebus Dominicis, ac alijs feſtis, oues ſibi commiſſas, ſalutari doctrina tamquam pabulo vitæ educare: atque a terrenis cogitationibus ad cœleſtium rerum amorem reuocare ſummopere ſtudeant. Quod ſi interdum legitime impediti, munus huiuſmodi per ſe ipſos præſtare nequiuerint: curabunt, vt per alios idoneos Verbi Dei miniſtros, fideles populi, ſalutaribus verbis paſcantur: ita vt in dictis Dominicis, ac alijs feſtis diebus Sancti Euangelij expoſitio, numquã prętermittatur. *Concil. Trid. ſeſſ. 5. c. 2. de reſor.*

Tempore autem Quadrageſimæ quotidie populus Verbo Dei paſcatur per Concionatores, a nobis electos, & ad id munus noſtra auctoritate miſſos, a quibus vbiq. in dictis oppidis hæc præcipue obſeruari volumus. Vt caueant, ne quæſtionibus inutilibus, ſeu fabuloſis ſermonibus audientium animos occupent, & omnino ab hiſtoriis apocriphis, à miraculorum non approbatorum recitatione abſtineant. *Seſſ. 24 c. 4. de reform. Generali.* *Seſſ. 25. dec. de purg.*

Hæreticorum ſententias, & argumenta, quantominus fieri poterit, nomine recenſeant; quin potius illa refellãt.

Vitia generatim reprehendant; nec in aliquem tacitè, vel expreſſe inuehant; ſed piè populorum vitam componere, eoſque in Dei timore diligenier inſtituere toto animo ſtudeant.

Subditos quoque ad ſuperiorum ſuorum obediẽtiam excitent, & adhortentur.

Curati autem locorum prædicatores ipſos præmoneant, quid magis, vel minus, pro loci, & populorum qualitate ſit eorum plebi enunciandum, vt reiectis quibuſcunque ad oſtentationem tantum facientibus, vitia

redar-

redarguant, animoſque Deo concilient. Diurnis horis, non autem noctu quocumq. anni tempore Dei Verbum prædicetur. Paſſio D.N. Ieſu Chriſti luceſcente die enuncietur; nec quicquam tunc, nec alias quandocumque dicatur, aut fiat ad lacrymas prouocandas; Quod a Chriſtiana diſciplina, & a tanti, tamque pij miſterij dignitate ſit alienum.

Curati itidem prouideant; vt concionibus fœminæ ſeorſum a maribus interſint; & ita diſponantur in Eccleſijs, vt Religionis, ac honeſtatis gratia, a maſculis diſtinguantur.

Piam, & laudabilem tam Ciuitatis Anagniæ, quam aliorum noſtræ Diœc. locorum conſuetudinem amplectentes, qua Verbi Dei Prædicatores Ciuium, & populorum ſumptibus Quadrageſimæ Tempore aluntur, & eis de honeſta elæemoſina pro loci qualitate prouidetur ſtatuimus, & ordinamus, ad Dei laudem, & ipſorum fidelium ſalutare beneficium, vt poſt hac laudabilis hæc conſuetudo vbique ſeruari debeat.

Ex dicto c. 4. ſeſſ. 24.

De Fidei initijs a Parocho tradendis. Cap. v.

PArochi tam in Ciuitate, quam extra in oppidis noſtræ Diœc. Dominicis, & alijs feſtis diebus, in ſuis quiſque Parochijs initia fidei, pueris tradant, eoſque in Dei timore primum erudiant; deinde debitam parentibus obedientiam, reuerentiamque prę̨ſtare doceant: proprio campanæ ſono ipſos ad conueniendum poſt prandium aſſignato, iuxta Bul. fe. re. Pij V.

& cap. 4. in fin.

Sub die viij Iulij 1568.

De

De lectione Theologica. Cap. vj.

THeologiæ lector nunc in Cathedrali noſtra Eccleſia, & in futurum ad id munus electus, ter in hebdomada quocumque anni tempore in Cappella Caetanorum nuncupata, ſacræ ſcripturæ libros, atque alios pro caſuū pœnitentialium cognitione a ſacerdotibus præſertim curatis habenda, interpretabitur cui quidem lectioni mandamus, vt tam Canonici, quam alij minoris gradus clerici omnes aſſidue intereſſe debeant. Monemus itaque omnes, ac ſingulos Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ clericos; vt hoſce libros quamprimum emere curent, ſcilicet Biblia Sacra, Concilium Tridentinum, Cathechiſmum Romanum, Manuale Nauarri, Librum Sacerdotalem, & has noſtras Conſtitutiones.

De Scholis & Magiſtris. Cap. vij.

CIuitatis, & aliorum locorum Rectores illud quam maxime cauere debent; vt literarij ludi, ac bonarum Artium Magiſtri: non tam doctrinæ quam Catholicæ Religionis laude commendati eligantur. Quapropter ad Dei laudem, & orthodoxæ fidei augumentum enixe hortamur, ac monemus, tam huius Ciuitatis Ciues, quàm alios per Diœceſim, ad quos electio huiuſmodi ſpectat: vt in hac electione curam omnem adhibeant; ſcire etenim debent, quod hinc potiſſimum pendet filiorum ſuorum ſalus, & incorrupta ciuitatum, ac locorum omnium morum ac vitæ diſciplina. Monemus itaque omnes, ac

ſingulos

Digitized by Google

ſingulos puerorum magiſtros, ne libros obſcœna, vel turpia tractantes diſcipulis proponant; nec alios nominatim in Indice vetitos ab ipſis legi permittant omnique ſtudio enitantur, eos bonis moribus, ſalutaribuſque præceptis imbuere, ac pia Inſtitutione in Dei timore erudire.

dicto cap. 1. in fin. Vt autem omnis errorũ via præcludatur: Mandamus, ne quis litterarum ludum poſt hac in noſtra Diœceſi publice, vel priuatim aperire ſeu profiteri audeat: niſi prius *d. Bull. Pij Quarti.* facultate a nobis obtenta, & fidei profeſſione coram nobis, ſeu Vicario noſtro per eum emiſſa, ſub pœnis.

De Sanctorum Reliquijs. Cap. viij.

SAnctorum Reliquias, tam in hac Cathedrali Eccleſia noſtra, quam in alijs Diœc. noſtræ Eccleſijs copioſas eſſe reperimus; quod non paruum diuini amoris erga populum noſtrum indicium exiſtimamus. Ideo vt illis debita vbique veneratio exhibeatur. Mandamus omnibus, & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus; vt eas decenti loco, ac decoris vaſculis (prout in hac noſtra Cathedrali ſeruantur) in eorum quoque Eccleſijs aſſeruent. Cum vero pietatis cauſa populo in diebus feſtis pro more oſtendi debeant, ſemper cum luminibus exhibeantur: nec temere ex propriis loculis, abſque ſpeciali noſtra licentia educantur.

Armarioli claues in quo ſeruantur, Parochi penes ſe retineant, nec alteri committant. In inuentario conſcriptas habeant, ordine a nobis formato, vt cum opus fuerit tanti theſauri rationem reddant.

Pro certis non recipiantur, niſi quæ prius noſtra fuerint auctoritate probatæ.

Poſtremo eam venerationem ijdem Curati Sancto-

rum

rum Reliquiis ab omnibus exhiberi curent, & doceant: quam Sacroſancta Tridentina Synodus decreuit. *Seſ. 25. Dec. de Inuoc. Vener. & reliq. SS.*

De Sacris Imaginibus. Cap. ix.

NE in Dei Eccleſia ob oculos fidelium quicquam apponatur, quod non ad ſanctitatem, pietatemque excitandam pertineat. Parochi quamdiligentiſſimè caueant, ne permittant inſolitas Imagines aliquas aut veritati Eccleſiaſticarum traditionum aduerſantes, fictaque ſimulacra, a quouis Pictore, ſeu Artifice in eorum Eccleſijs, ſeu alibi intra vniuſcuiuſque Parochiæ fines pingi ſeu ſculpi. Mandamus propterea quibuſcumque eius generis Artificibus ſub excommunicationis pœna: ne abſque ſpeciali facultate a nobis accepta, Imagines vllas quouis modo, in Eccleſiis, piiſque locis noſtræ Diœc. effingere audeant. *in eod. Dec. de inuoc.* Quod vero ad ipſarum Sacrarum Imaginum cultum & venerationem attinet, eam illis venerationem exhiberi iubemus, quam Sancta Tridentina Synodus decreuit, Idque ſæpius Eccleſiarum Rectores populos edocere diligenter ſtudeant. *Eiſd. ſeſſ. & dec.*

De Sanctorum Geſtorum Repræſentatione. Cap. x.

QVoniam propter hominum prauitatem, iam compertum eſt, conſuetudinem olim pie introductam repræſentandi populo venerandam Chriſti Domini noſtri Paſſionem, non ita hoc tempore inſpici: vt ad pietatem homines accendantur, ſed ex his quaſi ex ſcœna po-

tius ad riſus, & ſcandala prouocētur: Propterea mandamus; vt deinceps Saluatoris paſſio, ſiue in ſacro, ſiue in prophano loco; ſiue in Monialiū Monaſterijs nullatenus agatur; ſed a Concionatoribus ita pie, & grauiter exponatur; vt auditores ad ipſius contemplationem excitentur.

De Feſtorum Dierum Cultu. Cap. xj.

FEſtos, & ſolemnes dies in tota noſtra Diœceſi ab omnibus pie, ſanctèque obſeruari præcipimus. Parochis propterea mandamus, vt omni diligentia fideles ſibi cōmiſſos perſæpe doceant, quem Deo cultum feſtis diebus exhibere teneantur, vt inde cognoſcant, non eis licere eo tempore ſeruilibus, & illicis operibus vacare, nec choreis, ludis, & cuiuſuis alterius generis inani ſpectaculo intereſſe; ſed omnes tunc præcipue debere iuſtitiæ, charitatis, & Religionis opera colere, & in diuinis officiis, ac concionibus audiendis frequentes eſſe, & in recolendis Dei Max. beneficiis aſſidue verſari. Qui vero ſecus fecerint, præter diuinam vltionem & pœnas in Bul. fel. re. Pij V. contentas, aliis quoque grauioribus pro modo culpæ ex arbitrio noſtro punientur.

Dicta ſeſ. 25 dec. de Innoc. & vener. & dec. de Delectu ciborū ieiunijs & feſtis diebus.

Dies Feſti obſeruandi.

Dies Dominici omnes	Circumciſionis Domini
Dies Natiuitatis Domini	Epiphaniæ Domini
S. Stephani Protomartyris	Paſchatis Reſurrectionis cū duobus ſequentibus
S. Ioannis Euangeliſtæ	Aſcenſionis Domini
SS. Innocentium	Pentecoſtes cum duob. ſeq.
S. Silueſtri Papæ & Conf.	

San-

Digitized by Google

Sanctiſſimi Corporis Chriſti Domini Noſtri
Purificationis } B. Virginis
Anunciation. } Deiparæ
Aſſumptionis } Mariæ
Duodecim Apoſtolorum
S. Marci Euangeliſtæ
Inuentionis S. Crucis
Natiuitatis S. Io. Baptiſtæ
S. Laurentij Martyris
Dedicationis S. Michaelis Arcang.
Omnium Sanctorum.
S. Martini Epiſc. & Conf.

EX decreto, & conſuetudine Ciuitatis Anagniæ obſeruandi ſunt etiam dies feſti Sanctorum, quorum ſacra Corpora in hac Cathedrali Eccleſia digno honore ſub Altaribus ſunt recondita, ſummaque totius populi deuotione coluntur.

Sancti MAGNI Antiſtitis, ac Martyris Glorioſi, qui ſalutis noſtræ patrocinium ſibi a nobis delatum perpetuo ſuſcipit; noſtraſque preces & lacrymas Deo offert. Nos propterea Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, & eorum decreta innouantes, ſtatuimus & mandamus, vt eius Dies feſtus quotannis die Decimanona Auguſti ſolemni ritu, ſummaque veneratione celebrari debeat. Propriumque eius officium, nocturnum pariter & diurnum nuper a nobis reuiſum, & ad ritum Rom. Curiæ reſtitutum, quemadmodum in Cathedrali hac Eccleſia dicitur, ita in omnibus aliis noſtræ Diœc. pie, ac deuote recitari eodem die iubemus.

Parochi omnes, tam Ciuitatis, quam Diœc. in eorum Eccleſiis per dies octo ante feſti huius celebritatem Populum moneant, vt ad Confeſſionem, atque ſanctam Communionem digne ſuſcipiendam omnes deuote ſe prçparare velint, vt indulgentias eodem die a Sancta Sede Apoſtolica Cathedralem noſtram Eccleſiam viſitantibus conceſſas conſequi valeant.

S. Secundinæ Virginis, & Martyris die xv. Ianuarij
S. Oliuæ Virginis die xj. Iunij
Sancti Petri Anagnini Epiſcopi, & Confeſſ. & ſacri hu-

ius templi reſtauratoris die tertia Auguſti
SS. Aureliæ, & Neomiſiæ Virg. die xxv. Septembris
Dedicatio Cathedralis noſtræ Eccleſiæ Anag. vltima Septembris

Hortamur itaque omnes Chriſti fideles, vt in ſupradictis feſtis diebus ſe in his potiſſimum exerceant, quorum cauſa ſunt inſtituti; Eccleſias frequentantes omnipotenti Deo bonorum omnium largitori debitas gratias perſoluentes, & ad Sanctiſſimæ Dei Genitricis præſidium confugientes; ſanctorumque omnium patrocinium ſuppliciter inuocantes. Quare ne ad vana, & contraria ſupradictis piis operibus Populus declinet; prohibemus omnino, ſub excommunicationis pœna, ne in prædictis feſtis diebus quiſquā perſonatus per Ciuitatem, & Diœceſim incedere audeat.

De Ieiuniorum obſeruatione. Cap. xij.

Conc. Trid. diſt. Dec. de cib. delectu.

AB omnibus Ciuitatis, & Diœc. noſtræ fidelibus pro ſalutari ſuarum animarū medela; Sacra Ieiunia quæcumque ex Eccleſiæ inſtituto indicta pro animi feruore ſuſcipi, religioſeque obſeruari mandamus. Propterea Parochi ieiuniorum tempora crebro Populis annuncient, ac moneant omnes; vt a cibis vetitis ſe abſtineant, cæteraſque Ieiunij leges adimplere, pro viribus ſtudeant, nec eadem, legitima cauſa ceſſante violare præſumant, quodque Ieiuniorum tempore vetiti cibi a nemine prorſus vendi debeant, niſi pro imbecillium, & infirmorum vſu, ac ex cauſa prius ab vtroque Medico approbanda; nec non de noſtra, ſeu Vicarij noſtri licentia gratis ſubſignanda. In oppidis vero, vbi Medici conſilium multoties haberi non poteſt; de Vicarij foranei licentia ſimiliter gratis ſignanda, & ex rationabili cauſa.

Moneant

Moneant etiam omnes Ieiuniorum cultores, ne dum vetitas reſpuunt eſcas, alias ſeculi delicias conſectari velint. Nam parum prodeſt homini per Ieiunium ſe à cibo temperare, ſi animus ſit vitiis intemperans. Proinde ſciant fideles quod ſicut caro in Ieiuniis ab alimentis abſtinet, ita quoque mens a culpa ieiunare debet.

Ieiunia obſeruanda.

Quadrageſimæ dies omnes præter Dominicos
Quatuor Anni Tempora
Vigilia Pentecoſtes, quæ eſt ieiunium exultationis
Vigilia Natalis Domini
Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ
SS. Apoſtolorum exceptis Ioannis Euang. ac Philippi & Iacobi
Omnium Sanctorum
Natiuitatis Sancti Ioannis Baptiſtæ
Sancti Laurentij Martyris.

Parochi perſæpe ſalutarem Innocentij Conſtitutionē de Ieiunio latam publice in Eccleſia denuncient. *c. 2. ext. de obſer. ieiun.*

De maleficijs, & incantationibus. Cap. xiij.

CVrati in ſua quiſque Parochia omni diligentia perquirant, & agnoſcere ſtudeant omnes, qui in animarum ſuarum perniciem, veneficia, ſortilegia, Incantationes, diuinationes, ligaturas, & vetitas cuiuſuis generis magicas artes exercent, ac propterea cum Demonibus, pactiones, & fœdera, tacite vel expreſſe fecerint, & a Catholica fide quouis modo apoſtatauerint, vt poſtquam

eos,

eos, ſeu eorum aliquem norint, ſtatim ad nos deferant, vt pro ſcelerum magnitudine canonicas pœnas ſubeant: & e ſocietate cæterorum fidelium noſtræ Diœceſis exterminentur.

Perquirant etiam omnes alios, qui huiuſmodi diuinatores ſortilegos, ac cuiuſuis generis Magos, lamias, ſiue ſtriges, de re aliqua conſuluerint, & in hiſce flagitiis patrandis cum eis participauerint, eorum hortatores, ſeu adiutores, quoquomodo fuerint, vel fidem eis præſtiterint; vt ij pariter per nos legitime puniantur.

Deferant etiam ſi quos de huiuſmodi crimine ſuſpectos inuenerint, vt ij coerceantur, eijciantur, ſeu aliter pro modo culpæ canonicis pœnis afficiantur.

Superſtitioſas inſuper, & vanas populi obſeruationes, veluti colligere herbas, tali potius die, & hora, quam alias: incantare, aut commendare animalia, ne deuorentur ab aliis: certum candelarum numerum, ſiue in Miſſæ ſacrificio, ſiue alias quomodocumque adhibere, ad morbos præſertim ex vulgi opinione repellendos, vel ad maleficia pertractanda, ac aliæ quæcumque ſint; ab ouibus nobis commiſſis, omnino tolli, ac veluti rem pernicioſiſſimam vitari iubemus.

De Blaſphemia. Cap. xiiij.

QVoniam ſuadente Diabolo eo prolapſa eſt quorundam impietas, vt ſacroſanctum Dei nomen a creaturis omnibus ſemper benedicendum, ac Deiparæ Virginis Mariæ, Sanctorumque cum Deo regnantium inquinato, & deteſtabili eorum ore blasfemare atque execrari non vereantur: Idcirco vt horribilis hæc peccandi licentia, modis omnibus ab hac Ciuitate, & Diœceſi noſtra exterminetur, enixe hortamur in Domino, ac monemus Curatos, & alios quoſcumque Eccleſiarum Rectores

Digitized by Google

res, vt quam ſæpiſſime in eorum Parochiis Populo annuncient pœnas a Sacris Canonibus Blaſphemis impoſitas, & præſertim contentas in Bull. fel. re. Pij V. ipſaq; frequenter hominum mentib. inculcare ſtudeant, vt qui ab hoc ſcelere, Dei amore non abſtinent, ſaltim pœnæ formidine retrahantur. Seculares itaque Poteſtates, & locorum Rectores vehementer hortamur; vt execrabile hoc ſcelus ab eorum ditione exterminare, & abolere ſtudeant; quo & ipſi pie huius curæ vberrimam a Deo mercedem conſequi mereantur, præter Indulgentiam a poſteriori Lateranēn. Con. illis conceſſam. *Sub prima Apri.1566* *Conc. Later. ſeſſ. 9. de refor. cur.*

In foro conſcientiæ Confeſſores grauem pro modo culpæ Blaſphemis pœnitentiam imponant.

Parentes filios, Domini vero ſeruos ſuos blaſphemantes, nec prauam hanc conſuetudinem deſerentes grauiter obiurgent, ac etiam domo eiiciant, ne ipſi tanti ſceleris tolerantia Diuinæ Maieſtatis rei efficiantur.

Qui vero blaſphemantem audiuerit ipſum ſi poteſt aſperius obiurget; ſin autem pro zelo Gloriæ Dei, ne timeat eius nomen ad Iudicium Eccleſiaſticum vel ſeculare deferre.

Iudices qui ſceleſtos homines, iuſtis pœnis non affecerint ſciant ex ipſius Concilij Decreto, pœnis eiſdem ſe teneri.

Parochi omnem diligentiam adhibeant; vt execrabile hoc ſcelus, a commiſſis ſibi populis omnino aboleatur; Propterea in eorum Eccleſiis extra Ciuitatem, vbi Sanctiſſimi Nominis Dei ſocietas inſtituta non dum ſit; curent quam primum inſtitui cum Indulgentiarum participatione iuxta Bull. fe. re. Pij iiij. prout nos in noſtra hac Cathedrali inſtitui curauimus. *Bul. Pij iiij.*

De

De oratione ter in die & Salutatione Angelica. Cap. xv.

VT nullum officij genus ab his, qui animarum curam gerunt, prætermittatur, quo Chriſti fideles ad pietatem, & Dei laudes quotidie perſoluendas excitari poſſint: præcipimus, vt in noſtra Cathedrali, & in quacumque Parochiali Eccleſia ter in die videlicet diluculo, meridie, & ſub noctem campanæ ſono ij admoneantur, vt mente ad Deum conuerſi gratias illi agant; tum quod in ſingula momenta pro ſua bonitate beneficiis innumerabilibus nos afficit; tum vero quod noſtram mortalem carnem ſuſceperit ex puriſſima Virgine, quam ob id etiam certis diei interuallis ex pio Catholicæ Eccleſiæ inſtituto ſalutatione Angelica venerari ſolemus. Quod, vt fideles vbique religioſe faciant, Parochi ſæpe eos monere, atque hortari non deſinant vt primis campanæ ictibus, dicatur verſ. Angelus Domini nunciauit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto. Aue Maria &c. Secundis ictibus verſ. Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Aue Maria &c. Tertijs ictibus. Et Verbum caro factũ eſt: & habitauit in nobis. Aue Maria &c.

De Parochis, & Sacramentorũ adminiſtratione. Cap. xvj.

SAcerdotes in animarum cura Chriſti Miniſtri, ac miniſteriorum Dei diſpenſatores, illud in primis caueãt, dum tractant hæc Diuinæ gratiæ inſtrumenta, a Chriſto Domino ad ſanctificandas animas inſtituta; ne in quo, aliorum ſaluti prodeſſe ſtudent, ex eo ſibi exitium, & animarum

Digitized by Google

marum ſuarum perniciem cōparent. Exploratum enim omnibus eſſe debet, non poſſe abſque grauiſſimo peccato ſacramenta a quoquā aut confici, aut miniſtrari, qui ſibi mortalis reatus conſcius ſit. Cum itaque ex officij ſui munere ad ſancta hæc tractanda, fidelibuſque diſpenſanda quacumque diei hora parati eſſe debeant, curent omni ſtudio, ſuos mores, & vitam ea ratione conformare, vt ab omni prorſus mortifero crimine ſint liberi: illudq; ſibi vere perſuadeant, ac meminerint, magnum atque adeo omnium grauiſſimum onus eis impoſitum eſſe, idq; ſecum ſæpius in animis verſantes, pietatem in Deum, charitatem in proximum, continentiam, humilitatem, ac manſuetudinem amplectantur; ſanctitatem quoque, & iuſtitiam colant abiecta omni alia carnis, & inani huius ſæculi cura; ſacrarum litterarum ſtudia ament; in Diuinarum rerum pia meditatione, ac in orationibus aſſidue ſe exerceant. Horas Canonicas ſingulis diebus religioſe, & attente recitent, ſecularium hominum nimiam familiaritatem ne appetant, præſertim eorum, qui alicuius vitij infamia ſint notati; ſed cum aliis Religioſis viris, maximeque cum ijs, qui virtutum, ac pietatis laude commendantur, frequentius verſentur.

Quæ ad cuiuſque ſacramenti materiam, & formam attinent, ea omnia optime ſcire, ac tenere ſummopere ſtudeant; caueantque ne ab ipſis quicquam ignoretur, vel prætermittatur, quod S. R. Eccleſia, aliarum Mater, & Magiſtra, in ſacramentorum adminiſtratione ſeruat, & in ſuis ritibus ſtatuit.

Sacramenta quæcumque non ad alium vſum conuertant, & applicent, quam ad eum, cuius cauſa ſunt inſtituta. Si quis autem eis quouiſmodo abuti; vel aliis abutenda tradere non verebitur, arbitrij noſtri pœna pro criminis grauitate punietur.

In ſacramentorum adminiſtratione; in exorciſmis fontium, in ſponſorum benedictionibus; ac in purificatione

poſt partum, ritus & ceremonias ſeruent ex more S. R. Eccleſiæ prout Cathedralis Eccleſia noſtra etiam ſeruat; nec ab illius obſeruatione & conſuetudine vlla ex parte diſcedant.

Fideles quamſæpiſſime ad Confeſſionem, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuſceptionem paternis cohortationibus excitent, & accurate doceant longe maximam vtilitatem, & ſpiritalis iucunditatis fructum percipere omnes; qui vt ſe peccati mortalis conſcientia grauatos ſentiunt, ſtatim ad ſacramentum pœnitentiæ confugiunt, moxque corde contrito, ac humiliato ad Cæleſtis Regis menſam accedunt. Vt autē maiori deuotione ac reuerentia quiſque fidelis ad Eccleſiæ ſacramenta percipienda præparari debeat; ſtudeant Curati preſæpe vniuſcuiuſque ſacramenti vim, & efficaciam, vulgari etiam ſermone Populis exponere & declarare.

Infirmos in eorum Parochiis ſcire, & eos crebro inuiſere non omittant. ad ſalutarem ſacramentorum ſuſceptionem eos adhortentur, & inducant; eorum quoque ſaluti quacumque ratione ſolicite proſpiciant.

Sacramenta nunquam abſque ſuperpelliceo, & ſtola miniſtrent. Et vt prauum ſimoniæ crimen, & omnis auaritiæ indigna ſuſpicio a fidelium mente remoueatur; caueant ne in alicuius ſacramenti adminiſtratione quicquam tacite vel expreſſe poſtulent; nec etiam ſub eleemoſinæ nomine ſed gratis ea ſemper exhibeant.

Sacra olea a nobis anno quolibet in die Cœnæ Domini conſecrata recipiant. Claues locorum vbi ſacramēta reconduntur, penes ſe retineant quæ eiuſmodi ſint, ne facile vitiari poſſint.

Curati omnes in domo Parochiali prope Eccleſiam, vel in aliena intra fines tamen Parochiæ poſita, habitēts vt fidelibus præſto eſſe poſſint, qui eorum opera, & miniſterio quacumque hora vti voluerint, alioquin pro non reſidentibus habeantur.

De

Digitized by Google

De Baptiſmo. Cap. xvij.

BAptiſmi fontem nitide, & decenter ſtructum, beneqꝫ clauſum Eccleſiæ illæ Parochiales habeant, in quibus nos in viſitatione illum ordinauimus Aqua benedicta ſanctis præcibus, & ceremoniis, ſolemnique ritu conſecrata diligenter in eo ſeruetur. Opertorium ligneum habeat, intra quod ſacra olea aſſeruentur cum Vaſculo pro baptizandis, & cum linteo, & cum linteolo ad abſtergendum.

Sacerdos baptiſmi ſacramentum adminiſtraturus, compatres, & commatres, accurate doceat, & declaret, quæ per baptiſmi ſacramentum cognatio contrahatur; & ſimul explicet declarationē Bul. Pij V. ſuper decretū Conc. de cognatione ſpirituali videlicet. Quod contrahitur ſpiritualis affinitas, ſolum inter tenentes tantum, ita vt ſi Maritus tantum leuauerit a fonte; Vxor non eſt Cōmater; & viceuerſa; vnde infertur, virum, & vxorem poſſe ſimul tenere, atque ita quando commode fieri poteſt vtrumque admittat, ipſoſque moneat teneri infantes, quos e ſacro fonte ſuſceperint, in fide Catholica erudire, & Chriſtianis moribus, atque eorum inopiæ ſubuenire.

Seſ 4. c. 2. de ref matrim. Sub die 29. Nouembris 1566. anno eius prima.

Excommunicatos, & eos, qui in Paſchæ celebritate anni eiuſdem peccata ſua confiteri, & ſacram Euchariſtiam ſumere omiſerint, ad leuandum quemquā de ſacro fonte non admittant.

Parentes ſub excommunicationis pœna natum infantem intra octo dies ab eius natali, ad ſuſcipiendum Baptiſmum, ad Eccleſiam deferri faciant, & ne per ignorantiam excuſari poſſint, Parochi quotannis Quadrageſimæ initio, & in Dominica prima Aduentus in Eccleſia idipſum populo promulgent.

Cum ad Eccleſiam aliquis baptizandus defertur; Pa-

rochus inquirat, num in priuatis ædibus ob mortis periculum prius baptizatus fuerit, ſeruata integri ſacramēti ſubſtantia, quod ſi factum inuenerit, tantum ei preces & ritus, & ceremonias prætermiſſas adhibeat.

Nemini omnino intra domeſticos parietes quemquā baptizare liceat ſi tamē magna aliqua incidat neceſſitas; illud ſeruandum erit, vt ſi adſit ſacerdos, Baptiſmus ab eo miniſtretur; ſi non adſit, a Clerico; ſi is quoque abſuerit a laico mare, ipſo vero abſente, a fœmina. Qui omnes Baptiſmi formam recte ſciant videlicet. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Nihil omnino addendo, nec detrahendo; quamuis verba hæc vulgari lingua efferantur. Ne autem forma hæc a quoquā ſiue mare, ſiue fœmina ignoretur; Parochi omnes eam quam diligentiſſime, ac frequenter doceant; ſcilicet, vt infundentes aquam ſuper caput infantis dicant. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sācti Amen. Compater vnus, & Commater vna ad ſummum adhibeantur. Nomina Sanctorum, non autem Gentilium, in Baptiſmo imponantur. Liber in ſingulis Parochiis habeatur, in quo baptizati nomen tum parentū, & compatrum, tum etiam dies natiuitatis, & dies baptiſmi deſcribatur. Parochi puerperas moneant, vt cum primū domo exierint, ad Eccleſiam gratias Deo acturæ, & ad benedictionem a Sacerdote ſuſcipiendam, accedant. Moneant etiam parentes, ne infantes ſecum ad dormiendum in lecto teneant intra primum annum; ſed in cunabulis, propter periculum ſuffocationis.

Chriſtianæ Mulieres ne audeant lac Hebræarum filijs præbere propter ſcandalum Fidei.

De Confirmatione. Cap. xviij.

Confirmationis Sacramentum, cuius Ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus, quanto ſit ſtudio, ac religione ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipiendum Parochi ſæpe populo explicabunt. Cum illud a nobis miniſtrandum fuerit; Parochi in ſuis Eccleſiis tempus antea publice edicent; vt qui in adulta ætate conſignandi erunt, peccata ſua prius confiteri debeant, & vt etiam cæteri omnes, commode ad certam diem conuenire poſſint. Parochi in ſua quiſque Eccleſia quotannis Paſchæ tempore ſacramenti huius vim, dignitatem, & effectus perſpicue populum edoceant. Declarent etiam ex hoc, non ſecus, atque ex Baptiſmi ſacramento cognationem contrahi; quam quidem ob animarum periculum, nec eſſe negligendam, nec temere contrahendã moneant. Confirmatorum parentes Parochi admoneãt, vt eorum filios, cum adoleuerint, de ſuſcepto hoc ſacramento certiores faciant; ne cuiquam, aut dubitandi, aut ſacramentum reiterandi occaſio præbeatur.

Confirmatorum, ac Compatrum nomina in peculiari libro in vnaquaque Parochia per Curatum deſcripta aſſeruentur, & exemplum in manibus noſtris, ſeu Vicarij noſtri, in Archiuio ſeruandum exhibeant intra dies octo a die confirmationis ſuſceptæ.

Chriſma ſtatim a Sacerdote in Eccleſia bombice detergatur, quæ cum Linteolo comburetur, & Cineres in ſacrarium mittantur.

De Sanctiſsima Euchariſtia. Cap. xix.

SAnctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Parochi in ſuis Eccleſiis quam ornatiſſimo loco, clauſoque, atque munito, & in argenteo, ac deaurato vaſe repoſitum decentiſſimè aſſeruabunt, cum lampade ſemper accenſa; & illud ſingulis hebdomadis renouare non omittant. Omnes ſæpe hortentur, vt venerabili hoc ſacramento

quod

quod a Chriſto Domino, ad augēdam in nobis gratiam, & diuini amoris ſpiritum fouendum, aliaque cæleſtia dona nobis impartienda inſtitutum eſt; non ſolum Paſchæ tempore refici, ac recreari curent, ſed frequenter etiam intra anni ſpatium, & præſertim in maioribus feſtorum dierum celebritatibus; ne ſponte ſe admirabili hoc cibo priuantes, tamquam gratiarum omnium fonte deſtituti, maximum animarum ſuarum detrimentum patiantur.

Summa etiam diligentia animaduertant, quæ Paſchatis tempore de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento Populis adminiſtrando ad ipſos ſpectent. Propterea cum ſacrum Quadrageſimale ieiunium appropinquauerit publice in ſuis Eccleſiis denuncient, vt omnes ad tanti Myſterij ſuſceptionem in Paſchæ celebritate parati eſſe debeant; quemadmodum Sanctæ Matris Eccleſiæ auctoritate ſancitum eſt; nec tunc quempiam prius admittant, quam eum, an de ouibus ſibi commiſſis ſit, agnoſcant.

c. omnis vtriuſq. ſex. in 6.

Generatim moneant omnes eo tempore confiteri, ac in propria parochiali Eccleſia Sacram Communionem ſumere, teneri.

Poſt Octauam Paſchæ eorum nomina ad nos deferant; qui ſalutis ſuæ immemores, ſaluberrimo huic Sanctæ M. Eccleſiæ præcepto parere contempſerint; vt ex eorūdem Sacrorum Canonum præſcripto, quidq magis eorum ſaluti profuturum ſit per nos ſtatui ac decerni poſſit.

De altiſſimi huius ſacramenti vi, ac dignitate populos frequenter inſtruant; vt cognoſcant, quanta animi pietate, humilitate ac mentis deuotione, ad tanti Regis menſam accedere debeant.

Adoleſcentibus proſpiciant, qui tunc primum ad Sacram Communionem accedere intendunt, ne prætermittant paterna charitate ac ſtudio, eos prius erudire: Quæ quidem inſtructio, ſicut omnibus neceſſaria, ita pro eorundē adoleſcentum ſalute nullatenus omittenda eſt.

Vbi

Vbi fidelium multitudo adſit; Sacra Eucharistia, nunquam miniſtretur, niſi prius ante ipſos nitidum explicetur linteum; ne quid tanti ſacramenti maieſtate indignum accidat.

Populo, poſtquam Sacram Euchariſtiam ſumpſerit, vinum vaſe aliquo præbeatur, quod ad conſecrati Calicis formam non ſit confictum. Cum ad ægrotos Sacra Euchariſtia deferenda erit; Sacerdos ſuperpelliceo indutus cum ſtola, ac pluuiali decenter ſub vmbrella prodeat honeſto fidelium comitatu proſequente cum facibus accenſis, Clerico etiam præeunte, ac Tintinabuli ſono ad ſanctiſſimi Sacramenti cultum, & venerationem fidelē populum excitante.

In ſacro Euchariſtiæ vaſculo, ſerico velo contecto, ſacerdos ſemper duas particulas ſacratas deferat, quo ad Eccleſiam eodem cultu, & religione redire debeat.

Parochi cum Euchariſtiæ, vel extremæ Vnctionis Sacramentum ad infirmos deferunt; ſeptem pſalmos in itinere recitent, vel alias pias preces ad Deum deuote effundere non omittant; & cum ad Eccleſiam redierint cum ſanctiſſimo ſacramento Euchariſtiæ, annuncient populo indulgentias, comitantibus, & luminaria deferentibus conceſſas; & ſecundum morem populum eundem cum ſacramento benedicant.

Vbi ſanctiſſimi ſacramenti ſodalitas inſtituta fuerit, ſemper certo campanæ ſono ſodales vocentur, qui ſaccis induti, deuoteque hymnos, & pſalmos recitantes, venerabile ſacramentum cum aliis fidelibus pie, ac ſancte deducant.

Eos qui in morbum inciderint Parochi ſæpius inquirant quos ſtatim adeuntes hortentur; vt a peccatis per pœnitentiæ ſacramentum prius purgati, mox ſacram Euchariſtiam deuote ſumant.

Si morbus diuturnus fuerit, eos ſæpius inuiſent, atque conſolentur, & doceant eo ſe maiore animi tranquillitate

tate

tate aduerſam valetudinem toleraturos eſſe ; & aduerſarij impetus fortius ſuperaturos, ac etiam mortem ipſam alacrius obituros, quo ſe frequentius ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramento munierint, & animarum vires refecerint, & recrearint.

De Sacramento Pœnitentiæ. Cap. XX.

Pœnitentiæ ſacramentum, quo a peccatis liberamur, & in Dei gratiam reſtituimur; maximo animi ſtudio tractandum eſt. Peccator enim in ſpiritu humilitatis, & animi amaritudine pro admiſſis ſceleribus quam celerrime, vt Deo reconcilietur, ad ipſius miniſtrum confugere debet.

Miniſter autem ſimiliter animaduertere tenetur, ne ob eius inſcitiam medicamentum, quod pro ſanandis animæ vulneribus paratum eſt; non ſolum non proſit; ſed etiam morbi vim adaugeat; & ita æger vehementius inde affligetur, vnde adiuuandus erat.

Propterea nos huic animarum periculo, Dei gratia adiuuante, occurrere ac prouidere cupientes, prohibemus, ne quis ſacerdos ſæcularium confeſſiones audiat, qui prius a nobis ſcripto approbatus non fuerit. Exploratū enim eſt, non vnicuique tam grauis miniſterij facultatem committi debere; ſed ijs tantum, qui animi morbos, & recte curare ſciant, & probe calleant ſauciatis conſcientiis oleum, & vinum ſuperinfundere. Parochi, & alij animarum curatores ſæpiſsime fidelem Populum moneant, ex Eccleſiæ Decreto ſaltem in Paſchæ celebritate ſingulis annis teneri, peccata ſua confiteri; quodque ſalutarem hanc conſtitutionem vera animi religione obſeruent, nec accedere differant vſque ad Hebdomadam ſanctam; nec

tunc

tunc ex temporis anguſtia minus accurate ſua peccata recenſere, & enumerare queant: & ſacerdoti ægrotantis animi habitum cognoſcere non liceat, ac minus diligenter perpendere quæ vnicuique morbo medicina ſit adhibenda.

Parochi & alij Confeſſores, dum confeſſiones audiũt, ſuperpelliceum induant. Ne autem infirmorum diſpoſitiones vltimarum voluntatum ab aliquo impediantur; mandamus ſub excommunicationis pœna, vt nullus quouis modo, directe vel indirecte impediat, quominus Sacerdotes, vel Notarij cum teſtibus ad infirmum accedant, vt ipſum alloquantur quoties, & prout infirmus voluerit. Et ne quis huius noſtræ Conſtitutionis ignorantiam prætendere valear; Parochi ſæpe eam in Eccleſiis populo promulgent. Confeſſores in priuatis ædibus, nec maris, nec fœminæ confeſſiones abſque neceſſaria cauſa audire præſumant.

Mulieres in Eccleſia tantum, & in ſedibus confeſſionalibus ad id conſtitutis ad confitendum admittantur, ita, vt inter ipſas, & Confeſſorem tabella perforata media ſit, quæ mutuum aſpectum prohibeat, nec tamen auditum impediat. Ante ſolis ortum & poſt occaſum mulieres ad confeſſionem non admittant.

Pœnitentes cogitare oportet, cum ad confeſſionem accedunt, ipſum conſtitutum eſſe fidelium animarum iudicem, & in hoc miniſterio Chriſti locum tenere. Proinde cum omni animi, & corporis humilitate, bonaque fide, ac intimo animi dolore; nec non cum magna ſpe veniæ conſequendæ a Deo miſericordiarũ Patre non vereantur vulnera ſua, & plagas ſacerdoti detegere, ac patefacere. Confeſſores vero paternis monitis, accuratiſque percunctationibus, vbi illi ſuo muneri defuerint, pium eorum ſtudium adiuuare enixe ſtudeant.

Canones pœnitentiales Confeſſores omnino ſcire debeant, vt ſingulis peccatis pœnitentias ex Eccleſiæ præ-

Digitized by Google

ſcripto irrogandas non ignorent, caueantque ne ante debitam ſatisfactionem quempiam abſoluant, cui ſit facultas reſtituendi aliena, vel pia legata adimplendi; maxime vero, vbi in alia Confeſſione præcedenti, id ipſum eidem confitenti iniunctum fuiſſe, & non præſtitiſſe inuenerint. Illos tamen excipimus, qui cum mortis periculo ægrotauerint; qui monendi erunt; vt debitam ſatisfactionem ordinare non omittant.

Apud Confeſſionales ſedes Parochi tranſumptum habeant Bullæ Cœnæ Domini, & caſus a nobis reſeruatos; ne per ignorantiam extra fines poteſtatis ſibi permiſſæ egrediantur.

Caſus Reſeruati.

1 Publice blaſphemantes
2 Sacrilegi
3 Malefici
4 Sortilegi; magicas artes exercentes, ac ſacris rebus abutentes
5 Eccleſias Polluentes
6 Sodomitæ
7 Cum beſtiis coeuntes
8 Incæſtuoſi
9 Raptores Virginum
10 Abortum procurantes
11 Homicidæ voluntarij
12 Parentum percuſſores
13 Falſarij
14 Falſi teſtes in iudicio
15 Incendiarij & qui damni, iniuriæue cauſa vites vel arbores alienas inciderint
16 Aſſaſsini & viarum graſſatores
17 Votorum commutationes

Excom-

28 Fxcommunicationis maioris abſolutiones
19 Notarij legata ad pias cauſas facta non denunciantes ex noſtri decreti præſcripto
20 Incertorum reſtitutiones locis pijs arbitrio noſtro applicandæ.

Forma abſolutionis.

MIſereatur tui omnipotens Deus &c. Indulgentiā &c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat. Et Ego auctoritate ipſius abſoluo te ab omni vinculo excommunicationis in quantum poſſum, & indiges: deinde eadem auctoritate abſoluo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris, & Filij: & Spiritus Sancti Amen.

Paſsio D. N. Ieſu Chriſti, & merita Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum; & quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris ſit tibi in remiſsionem peccatorum tuorum, in augumentum diuinæ gratiæ in præmium vitæ æternæ Amen.

Qui poſt Dominicam in Albis confeſsi non fuerint, mandamus vt poſt tres monitiones, tribus tunc ſequentibus feſtiuis diebus factas, niſi reſipuerint, & Eccleſiæ ſalutari præcepto paruerint, ab Eccleſia arceātur, & aliis pœnis ſubijciantur iuxta Innocentij. III. decretum cuius tenor talis eſt.

Omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti; & iniunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum, niſi forte de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum; alioquin, & viuens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur; & moriens chriſtiana careat ſepultura.

Ne igitur quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis afferre valeat; mandamus, vt Curati omnes frequenter in eorum Eccleſiis ſalutare hoc ſtatutum populis promulgent.

Et ne, quod primum eſſe debet poſtremum relinquatur, fortaſſe etiam miſerabili quadam negligentia prorſus omittatur. Præcipimus Medicis omnibus, vt antequam ægrorum curam exercere incipiant, ipſos adhortentur, vt diuinam prius medicinam quam humanam ſumere debeant; ac propterea ipſis tridui ſpacium aſſignent, vt Sacerdoti peccata ſua confiteantur. Quod ſi facere neglexerint, eorum curam omnino deſerere teneantur, donec illos ſalutari huic præcepto paruiſſe conſtiterit ſub pena contenta in Bull. fe. re. Pij Quinti.

De Extrema Vnctione. Cap. xxj.

Extremæ Vnctionis ſacramentum quoties ad infirmũ erit deferendum, Parochus ſuperpelliceo indutus, ſtolaque ſuper humeros impoſita, decenter ac religioſe cum Cruce, lumine, ac vaſe pro referendo bombyce, illud in vaſculo argenteo, vel ſaltem ſtamneo, ſerico velamine cooperto, deferat. Et quoniam ſacra hæc Vnctio ad immortalem vitam ex hac mortali vita decedentem facile diſponit; Diſpoſitio autem huiuſmodi in eo qui iam ſenſibus caret, nulla eſſe poteſt. Ideo Parochis præcipimus, vt tunc maxime fideles ægrotos ſancto oleo vngendos curent, cum in eis, & mentis & rationis vſus adhuc viget; vt & ipſi ad eam vnctionem ſuſcipiendam animi pietatem ac religionem præſtare valeant, vberioremque ſacramenti huius gratiam conſequi poſſint.

Cum ad infirmum Parochus acceſſerit, paterna cum

cha-

Digitized by Google

charitate conſoletur, ac hortari curet, vt mentem deuote in Deum eleuet, ad cæleſtiſque Beatitudinis gaudia deſiderium ſuum erigat; ac propterea abiecto mortis metu, ſe ad æternam requiem vocari firma ſpe gaudeat.

Peracto autem vnctionis officio, Parochus adſtantes moneat, vt preces Chriſto Domino pro eo effundere ne intermittant.

Verum quia tunc maxime ægroto ſpirituali Medico eſt opus, Parochus vſque ad extremum vitæ ſpiritum eidem aſſiſtere, ac omni pietatis officio, religioniſque precationibus munus ſuum adimplere ſtudeat, quo fidelis anima Deo reconciliata, ac commendata decedat; ac propterea dum infirmus agonizat, hortetur aſſiſtentes, vt peculiares orationes pro illo recitent.

Sciant autem Curati ex Sacrorum Canonum diſpoſitione eis non licere hanc ſacram Vnctionem exhibere impœnitentibus, & ijs qui in notoriis peccatis degunt, vel ab Eccleſia alieni nullũ pœnitentiæ ſignũ emiſerint.

De Ordinis Sacramento.
Cap. xxij.

VT in Dei Eccleſia idonei Sacerdotes, ac alij inferiorum ordinum miniſtri habeantur; qui in miniſterio quod gerunt, merito ab aliis commendentur; Nos ex nunc muneris noſtri debito, illud in primis prouidendum exiſtimamus, ne quiſquam ad ordines admittatur, niſi ſeruata ea diligentiæ ratione, quæ per ſacros Canones, & præcipue per Concil. Trid. præcipitur; cum optime compertum ſit, hinc aditum concedi ad animarum curam, & ad myſteriorum Dei diſpenſationem. Quæ quidem ſacræ functiones, ſi ab indignis indigne exerceantur; tunc neceſſe eſt, vt omnis Eccleſiæ diſciplina, ac cæterorum ædificatio fidelium corruat.

Vt

Vt igitur in exequendo nos illud ſtudium præſtemus, quod eadem ſancta Synodus Tridentina impoſuit. Volumus vt examinatores in hac ſacra Synodo electi, cum primum edictum noſtrum audiuerint, quo nos certa die ſacros ordines celebraturos denunciabimus, pridie illius diei conuenire debeant, & ordinandorum examini coram nobis, ſeu Vicario noſtro diligenter incumbere, eorumque operam ita ſedulo impendere ſtudeant, vt ſuam conſcientiam exonerent, & noſtram in aliquo ne grauent. Vicarij vero noſtri foranei, eodem edicto ſimiliter intellecto, omnes in oppidis moneant, qui ſacris initiari voluerint, ne ſe coram nobis præſentent, niſi vere Eccleſiaſticum beneficium, vel patrimonium eorum victui ſufficiens obtineant.

Qui autem illud vere obtinuerint, cauere teneantur, apud Epiſcopalis curiæ acta, de eo non alienando donec vel ex beneficij poſtmodum aſſequuti redditibus, vel aliunde eis ſuppetat, vt decenter degere queant.

Qui minoribus ordinibus initiati fuerint, in præcipuis D. N. Ieſu Chriſti, ac Beatiſsimæ Virginis Mariæ feſtiuitatibus: Diaconi vero, & Subdiaconi præſertim Canonici, & in dignitatibus conſtituti ſemel ſaltem in menſe ſacram Euchariſtiam deuote ſuſcipiant, & ſciant maxime decere, cum in Altari miniſtrauerint ſaltem diebus Dominicis, & ſolemnibus ſacram Communionem eos percipere, ſuoſque mores, & vitam ad eam viuendi normam conforment, quæ & illorum inſtituto conueniat, & miniſterium quod gerunt ita commendet, vt digni ſanctæ Dei Eccleſiæ miniſtri ab omnibus habeantur, atque ad altiores deinceps gradus vocari mereantur.

Conci. Trid. ſeſſ. 23. c. Subiaconi.

De

De Sacramento Matrimonij. Cap. xxiij.

PArochi quo magis ab omnibus matrimonij ſacramentum, quod Apoſtolo teſtante, magnum eſt in Chriſto, & in Eccleſia, nullo prorſus Religionis intuitu, ſed tantum ſæculi, libidinis, & diuitiarum cupiditate tractari vident, eo diligentius curare debent, ex Sac. Concil. Trid. decreto, ac regula, vt inter fideles religioſe initietur ſanctęque perficiatur. *Seſſ 24 Dec. de Matr.*

Quare populis perſæpe enuncient, ac clariſſimis verbis explicent legitimæ huius coniunctionis vim, ac ſanctitatem, & cuius rei cauſa matrimonium ſit a fidelibus ineundum, quamue animi religionem, ac præparationem requirat, & in ſuis Eccleſiis ter, aut quater in anno frequenti populo legant; ac declarent Decretum Conc. eiuſdem de Matrimoniis Clandeſtinis, a quibus omnes omnino abſtinere iubeant. Denunciationes, quæ matrimonium antecedere debent, ne intermittant, quæ tam in Parochia viri, quam mulieris fiant; nec eas vlla ex parte remittendi facultatem ſibi aſſumant, abſque ſpeciali licentia a nobis in ſcriptis obtenta. *d ſeſſ. 24. c. 1 de ref. matrim.*

Coniuges ſaltem triduo ante matrimonij conſummationem hortentur, vt peccata ſua confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum pie accedant, ipſoſque moneant, vt ante ſacerdotalem benedictionem in Eccleſia ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent. *d. ſeſſ. 24. c. 1.*

Alienæ Diœceſis ſponſum ſponſamue, nobis inconſultis, in matrimonium non coniungant, etiam ſi quis teſtimonium a ſuo ordinario exhibeat, niſi prius ea fides a nobis, ſeu a Vicario noſtro probata fuerit. *d. ſeſſ. 24. c. 9*

Sponſos, hortamur, ne niſi in miſſa benedicant.

Coniugum ac teſtium nomina, & cognomina, nec non

dies

dies in quo hæc peracta fuerint in libro a Parocho conſcripta reſeruentur.

Abuſus omnes, videlicet, bibendi in Eccleſia, & alia, quæ indecore ſæpe fiunt, ne permittantur,

Interdictionem ſolemnium Nuptiarum ab Aduentu Domini, vſque in diem Epiphaniæ; & a feria quarta Cinerum vſque in octauam Paſchatis incluſiue ex eiuſdem ſac. Conc. decreto ab omnibus obſeruari, etiam ſub excommunicationis pœna iubemus.

Seſs. 24. de ref. matr.

Et generatim iidem Parochi alia quæcumque tollere, ac remouere ſtudeant, quæ huius ſacramenti ſanctitati, & honeſtati contraria videbuntur; vt quod ſanctum eſt, nō in comeſſationibus & impudicitiis, ſed in orationibus, & ſanctitate vti par eſt a Chriſti fidelibus peragatur.

De Sacrificio Miſſæ. Cap. xxiiij.

SAnctiſſimum miſſæ ſacrificium, quo viuifica illa & ſalutaris hoſtia in ara Crucis Deo Patri ſemel oblata, quotidie nunc Sacerdotis miniſterio ad eiuſdem Dominicæ paſſionis memoriam fidelibus inſtaurandam, vberrimoſque fructus mortis eius in nos deriuandos immolatur, inter cætera Chriſtiani cultus officia ſingulari religione a ſacerdotibus celebrari, & a populo maxima veneratione coli debet. Et cum valde felix ſit ſacerdos ille, qui obſequium ſeruitutis ſuæ digne peragit magnopere curandum erit omnibus, vt mundo corde, & abſque mortiferi reatus macula ad rem diuinam faciendam accedãt.

Propterea Sacerdotes omnes monemus; vt antequam celebrent, diligenter conſcientiæ ſuæ latebras omnes excutiant, caueantque, ne cum ſe reos mortalis delicti ex conſcientia nouerint, ad tremendi huius ſacrificij functio-

Nec

nem accedere præſumant; niſi prius peccata ſua confeſſi fuerint.

Nec hanc ſacramentalem confeſſionem prætermittere audeant, vbi alterius ſacerdotis copiam habere poſſint, quantumcumque ſe contritos exiſtiment, ne de ſingulari medicina ſibi miſerabiliter æternam damnationem acquirant.

Poſtmodum ſe colligentes, & orantes cum cordis puritate, mentem in tanti myſterij pia conſideratione defigant. Miſſam tunc accurate, ac diſtinctè prælegant, notatis ſingulis eius partibus; mox ſe ſacris veſtibus induant, quibus induti non modo neminem alloquantur, ſed & oculos, & mentem ab omnibus amoueant, quæ eos a tanti miniſterij pia deuotaq. meditatione diſtrahere poſſent.

E ſacriſtia graui moderatoque inceſſu prodeant, miniſtro præeunte, & miſſale deferente.

Sacerdos confeſſionem ne incipiat, niſi accenſis prius candelis, ac ibidem paratis vini, & aquæ vaſculis.

In Altari neque biretum; neque aliud quidpiam ponat; præter ea quæ ſint ad ſacrificij miniſteriũ neceſſaria.

Sacerdos in Altari nunquam ſubbireto vtatur.

Clara voce proferat, quę a circũſtantibus audiri debẽt.

In legendo, nec tarditatem, nec celeritatem nimiam adhibeat.

Ceremoniis tantum vtatur a S. R. Eccleſia comprobatis nihil omnino addendo, vel minuendo ex ijs, quæ in ipſius Miſſæ ordinario ſcripta, & ordinata habentur.

Sacrum Canonem attente legat, non autem memoriter recitet, ne vllus error contingere poſſit.

Cum opus fuerit genuflectere, caput inclinare, ad populum ſe vertere, cruce ſignare, ſacram hoſtiam in altum tollere, mouere, & frangere, adeo moderate ſe gerat; vt qui adſunt ex ſacris ijs actionibus diuini ſacrificij ſanctitatem magis agnoſcant, & ad pietatem vehementius excitentur.

Digitized by Google

Propterea poſt conſecrationem ſemper genu ad terram flexo ſancta, & tremenda myſteria veneretur, & adoret.

Candelæ a miniſtro ne extinguantur ante recitationem vltimi Euangelij prout diei ratio poſtulauerit.

Poſt reditum ad ſacriſtiam, ſacris veſtibus exutus, iterũ ad orationem deuote ſe vertẽs omnipotenti Deo pro peracti ſacrificij beneficio gratias agat.

Omnes in Presbyteratus ordine conſtituti, cuiuſcumque dignitatis graduſue fuerint, ne in vacuum gratiam Dei recepiſſe videantur, ex Sac. Conc. Tridentini decreto, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus Miſſæ ſacrum facere non omittant. Seſ. 23. c. 14.

Curati vero tam frequenter in hebdomada celebrare teneantur: vt animabus ſibi commiſſis ſatisfaciant.

Monemus pariter omnes Chriſtifideles: vt dum Miſſa priuata celebratur, a collocutionibus, ac riſu, aliiſque indignis actibus prorſus abſtineant, ſed mente, & oculis in ſacerdotis miniſterio deuote ſemper intenti, ſacroſanctum ſacrificium pie ac religioſe aſpiciant, audiant, & adorent, capite ſemper aperto ac genibus flexis.

Ad Altare, ne ita prope accedant: vt ſacerdotem, ſeu miniſtrum perturbent. Prius non diſcedant, quam Euangelij recitatio poſt benedictionem, abſoluta ſit.

Monemus etiam quoſcumque Eccleſiarum Rectores, ac præſertim ſacriſtas, vt quam diligentiſsime ſtudeant, ne in Dei Eccleſia quicquam loci ſanctitate indignum appareat, ſed Domus Dei decorem vti diligentes, curent, vt lintea, & pallia, quibus Altaria teguntur, & ornantur, pura, mundaque ſint. Indumenta quoque ſacerdotalia, Pallæ, & corporalia ſint omni nitore redolentia. Purificatoria ad vſum ſacrati Calicis ſimiliter munda ſint: & idcirco vino albo potius, cuius in hac Prouincia copia eſt, in ſacrificio vti mandamus. Demum omni eorum cura prouideant: ne quicquam in parte vlla conſpiciatur in quo

non

Digitized by Google

non eluceat puritas, atque munditia: vt inde etiam fidelium mentes ad pietatem ac venerationem excitentur.

Alienæ Diœceſis ſacerdotibus Miſſam celebrandi poteſtas ne concedatur in Ciuitate, niſi Nobis ſeu Vicario noſtro oſtenſis prius literis teſtimonialibus, ſeu dimiſſoriis ſui Ordinarij. In oppidis vero noſtræ Diœceſis inſpici ac ſignari debeant per Vicarios noſtros foraneos.

Ante auroram,& poſt meridiem miſſam celebrare nemini ſacerdoti liceat, niſi ex cauſa, quæ iure permiſſa eſt.

In celebratione Miſſarum tam in noſtra Cathedrali, quam in aliis, Ciuitatis & Diœc. noſtræ Eccleſiis is ordo ſeruetur: vt etiam populi commoditati conſulatur, quod ſacriſtæ iudicio relinquitur.

In priuatis ædibus nullus ſacerdos celebrare audeat.

In die ſabbati Miſſa de Beata Virgine perpetuo celebretur, niſi ſolemne aliquod feſtum agatur: vel Eccleſiæ inſtituto impediatur.

Nullus Presbyter primam Miſſam celebrare præſumat abſque noſtra ſeu Vicarij noſtri licentia.

In Miſſæ nouæ celebratione abuſus omnes tollantur, qui aut nimia populi licentia, aut clericorum auaritia irrepſerunt; ita vt indecẽs Baldachini delatio, & ſumptuoſa conuiuia omnino ceſſent.

Conci. Trid. ſeſſ. 22. De c. de obſer. & euitan. in celeb. Miſſæ.

Viduæ, ac Puellæ nobiles ad Miſſæ auditionem, ſicut cæteri fideles ſe teneri, ſciant, propterea ſub alicuius conſuetudinis prætextu illas excuſatas eſſe nolumus.

Parochi ſæpe paterfamilias moneant; vt filios, & famulos ſuos, quos Ruri in paſcendis beſtiis occupatos detinent, Dominicis, & alijs feſtis diebus ad Eccleſiam horæ Miſsæ accedere faciant.

Et quoniam non ignoramus, ex populo complures eſse, qui jn feriatis diebus ad Eccleſias non conueniunt, nec miſsam audiunt: Idcirco monemus omnes, ac ſingulos fideles; qui aut ob ſeruilem eorum conditionem in Dominorum ſuorum operibus occupati detinentur, aut

F 2 ægri

Digitized by Google

ægri in lectis decumbunt; aut familiaribus curis Domi vacantes exire nequeunt; vt, dum Campanæ ſignum audiunt, quæ pulſari ſolet quando Sanctus in Miſſa cantatur, ſtatim vbicunq. reperiantur genua flectentes, deuote cor in Deum erigant, ac pia mente ſalutarem hoſtiam, quæ tunc in Eccleſia eleuatur, humiliter adorent, & peccatorum ſuorum veniam poſcentes de continuis beneficiis; quæ a Diuina bonitate percipimus, gratias agant. Vt autem libentius, ac fructuoſius vnuſquiſque hunc Chriſtianæ pietatis actum peragat, omnibus, & ſingulis in Ciuitate, & Diœceſi noſtra; noſtræ huic hortationi parentibus, pro qualibet vice dies quadraginta de iniunctis pœnitentiis in Domino concedimus.

De Sacroſanctis Eccleſijs.
Cap. XXV.

IN Eccleſia, quæ domus Dei eſt; & in qua ſacroſanctum ſacrificium offertur; diuinæque laudes celebrantur, & ad orandum, ac Verbum Dei audiendum fideles conueniunt; non modo nihil indecorum, & incultum; ſed omnia ſingulari quodam nitore, religioſoque cultu elucere debent. Quapropter omnibus Eccleſiarum Rectoribus diſtricte præcipimus, vt omnem diligentiam adhibeant, & curent, ne ibi ſordes vllæ, ſed omnia munda, & ſicut loci ſanctitatem decet, pura, nitidaque appareant.

Fontes aquæ benedictæ quolibet die ſabbati expurgari, & alia aqua munda repleri faciant, quam die Dominico ſummo mane benedicant: fideles namq. ipſa aſperſi ſe ſantificant, a venialibus purgant, & a maligni hoſtis incurſu protegunt. Aqua vero quæ fuerit extracta in ſacrarium ingeratur.

Ne vero quis ibi peccata cõmittat, vbi peccatorũ veniã poſtu-

poſtulare debet; mandamus, cum diuina celebrantur officia; vt nemo deambulare nec ibi negocia vlla tractare, aut nugari, nec riſus prophanaq. colloquia habere audeat.

Sacris Altaribus, & Baptiſmi fontibus laicorum nemini adherere liceat. A ſanctiſſimo Euchariſtiæ tabernaculo auerſus, ſeu alias irreuerenter nemo maneat, aut ſedeat.

Vt ſanctæ Crucis ſigno debitus vbique honor ab omnibus præſtetur, animaduertant Eccleſiarum Rectores, ne in ſolo, vel in marmoribus humi poſitis, nec in pauimentis, quæ hominum, ac beſtiarum pedibus teruntur; aut in aliis immundis locis crucem ſculpere, aut pingere quiſpiam audeat. Quod ſicubi hodie humi, vel in loco minus decenti ſculpta reperiatur, illam quamprimum intra octo dies a Synodi huius abſolutione deleri, & amoueri curent.

In Eccleſiarum atriis, foribuſue, nullum venale vnquã proponi liceat. Ab Eccleſiarum parietibus prophana omnia, & immunda, velut Tabernæ, ac Iudæorum familiæ procul omnino arceantur. Haſtas, & ignis tormenta in Eccleſiam inferre nullus præſumat.

Mendici eleemoſinæ cauſa per Eccleſiam ne uagentur, ſed in foribus conſiſtant. Comeſtiones, compotationeſue nullo vnquam tempore in Eccleſijs fiant. *Bull. Pij V.*

Sub noctis hora Eccleſiarum fores claudãtur, nec vllus noctis tempore intro admittatur, niſi nocte Natalis Chriſti Domini.

Sacerdotalia indumenta, & alia quæcumque Eccleſiaſtica ornamenta ſacris functionibus dicata, nemo ad prophanos vſus alicui commodare præſumat.

Altaria quę ſunt dotata per Cappellanos curentur, nec eorum bona a quoquam vſurpari permittant. Indotata vero poſt tres menſes a Synodi huius fine; aut competenter dotari & exornari ab ijs qui ea erigi fecerunt, aut deſtrui, ac dirui debeant.

Eccleſiarum immunitates cum omni vigilantia, & cu-

ra

Digitized by Google

ra illæſas ſeruari, ac cuſtodiri præcipimus; it
facinoroſi homines non niſi neceſſario tanqua
lum recipiantur. Indemnitati quoq. iurium, &
Eccleſiarum proſpicientes; Mandamus omn
ſiaſtica beneficia obtinentibus, ac omnibus H
& aliorum piorum locorum Gubernatoribus
ſtratoribus, vt intra duos menſes poſt huius Sy
lutionem inuentaria bonorum omnium, mobi
mobilium, iuriumq. & actionum ad Eccleſias
talia, & alia pia loca tam Ciuitatis quam oppi
ſtræ Diœceſis, cum ipſorum bonorum qualitat
tionibus, vocabulis, & confinibus coram hon
dignis teſtimonijs in forma probante confice
vt exinde duo publica inſtrumenta fiant; quo
in ipſa Eccleſia, Hoſpitali, ſeu pio loco; alter
Archiuio Cathedralis Eccleſiæ noſtræ perp
tur. Qui vero Decreto huic in termino præ
parere neglexerit, aut parum fidelem ſe in hoc
grauiter arbitrio noſtro puniatur.

De vita, & honeſtate Cleric
Cap. xxvj.

PRæceptum Domini eſt Animarum Curator
ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt vi
ra veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, c
lis eſt. Hæc igitur veritatis verba nos admone
delem populum fidei noſtræ commiſſum in vi
dirigere, & in Dei timore, prout tenemur, recti
re volumus; illud prius nobis curandum eſſe int
ne ij, qui cæterorum fidelium animarum cura
recta viuendi via, & ab offici ſui regula, vel pa
ctant, cum ab ipſis laici homines virtutum om

Digitized by Google

pla ſumere debeant. Proinde eoſdem animarum Rectores monendos duximus, prout eos enixe monemus, & obſecramus in Domino; vt pietatem, quam profitentur, etiam vitæ integritate, ac innocentia comprobare nitantur, ſuis recte factis exprimentes, quæ verbis alios docent; cum ſciant ſe, & religionis, & pietatis exemplo cæteris prælucere, omnique ſtudio eniti debere; ne lucem quam Deus, in illis poſuit, ipſi ſuis tenebris obſcurent. Omnes itaque diligenter, quæ ad ſuum officium ſpectant ſcire ſtudeāt, & propterea in ſacrarum litterarum ſtudiis, ac diuinarū rerum pia meditatione, nec non in orationibus aſſidue ſe exerceant.

Manipulum curatorum, & Cathechiſmum ex Sacr. Conc. Trid. decreto ad Parochos editum in manibus ſemper habeant.

Quotidie etiam ex aliis ſacris litteris, ac ſanctorum Patrum opuſculis aliquid legant; quo, & vitæ exemplis, & doctrinæ præceptis reliquos fideles ad veræ virtutis diſciplinam inſtituere valeāt. Qui in Dei militia aſcripti ſunt, & in ſortem Domini vocati, coronam ordini ſuo congruam, & viſibilem continuo deferant, vt a laicis internoſci poſſint.

Sacerdotes, comam, & barbam ſtudioſe non nutriant, ſuperioris labij pilos ita tonderi faciant, vt in miſſæ ſacrificio præcioſo Domini ſanguine non imbuantur.

Biretum more Rom. Curiæ; Et veſtem ſuperiorem ad collum clauſam, & ad talos vſque demiſſam ſemper deferant. In verbis ſint modeſti, non obtrectatores, nec effrænis linguæ. Verborum obſcœnitatem non minus, quā operum deteſtentur, & fugiant. Vbicumque fuerint, caueant, ne indecens oculorum vagatio in eis reprehendi poſſit, ſed pudorem in vultu, habitu, & inceſſu ſemper præſeferre ſtudeant. Caligas non turgidas; neque inciſas, ſed nigri coloris induant. Interulas ſiue camiſias ſimplices, non autem corrugatas vel acu elaboratas habeāt,

Digitized by Google

ac in omnibus eam corporis munditiam, & habitus puritatem ſeruent, quæ animi quoque puritatem præſeferat.

Iter facientes, & ſi habitu contractiore, congruente tamen eorum ordini ſint induti, vt facile eos clericos eſſe dignoſci poſſit.

Sacerdotes rurales, cum ad Vrbem, vel vocati a nobis, vel alia ex cauſa accedunt, tabernas ingredi non audeant, vbi cauponum lenonum, ac meritricum commercium habere poſſint; quod & eorum ordini dedecus, & cæteris honeſtis viris ſcandalum præſtaret, murmurationumque occaſionem omnibus præberet. Quapropter qui ſecus fecerit, is per nos pro modo culpæ grauiter puniatur: ijdem quoque dum in ciuitate manſerint, eodem decenti veſtitu, quo vrbani clerici incedant.

Pileis niſi pluuiæ tempore, aut nubilo cœlo, & in viis, non autem intra Eccleſiam vti poſſint.

Annulos niſi in dignitate conſtituti, ne deferant.

Et quia Paſtoris intereſt non ignorare, vbi oues ſuæ morentur, cum nulla eiuſdem excuſatio eſſe poſſit ſi lupus eas rapiat; propterea mandamus tam Curatis, quam aliis Presbyteris, & Clericis ne a Ciuitate, & Diœceſi longius abſque noſtris aut Vicarij noſtri commendatitiis litteris diſcedāt. In propriis ædibus, & alibi cibum ſumpturi, menſam prius benedicant; ſumpto autem cibo, gratias Deo bonorum omnium largitori agere nunquam prætermittant. In menſa recumbentes lectionem per Clericum, ſeu alium de familia, ex ſacris bibliis, ſeu ſanctorum Patrum homiliis ſemper habere curent.

A quocumque improbato ludorum genere penitus abſtineant, nec eos ſpectent.

Choreas nec ducant, nec illis interſint, a permiſſis quoque ludis ſi ſcandalum quodque oriri nouerint quam longiſſime abſint.

In ſeculari curia aduocare non debeant, nec vti procuratores vniuerſitatum, vel priuati alicuius ibi agere, ſeu

negocia

Digitized by Google

negotia profana tractare audeant, niſi pro ſe ipſis, ſeu Eccleſijs, vel pro miſerabili perſona. Tabellionis officiũ nullo modo exerceant. Ab omni mercatura abſtineant.

Concubinas, aut alias mulieres, de quibus ſuſpicio haberi poſſit domi, vel extra non detineant, nec cum illis conſuetudinem vllam habeant, ſub pœnis ex ſacr. Conc. Trid. decreto. Nec eas Domi habere audeãt, quarum conuerſatio a iure permittitur abſque ſpeciali noſtra licentia.

Venationes contra ſacrorum canonum formam ne exerceant.

Tabernas, & diuerſoria, niſi itineris gratia, ne ingrediantur. Cuiuſcunque generis arma ne deferant abſque ſpeciali licentia a nobis, ſeu Vicario noſtro obtenta; quæ nec concedi debeat, niſi dum Clerici per loca minus tuta tranſierint.

Noctis tempore abſque honeſta, & vrgenti cauſa per ciuitatem, ſeu oppida euagare non debeant; nec inſtrumenta pulſare, nec canere, aut canẽtibus ſe comites præbere, ſub carceris, & alijs arbitri noſtri pœnis. Qui in ſacris ſunt ordinibus conſtituti, laicorũ ſeruituti ne ſe ſubiiciant, abſque ſpeciali licentia a nobis in ſcriptis obtenta.

Et generatim quæcumque alia, ad clericorum vitam, & honeſtatem ex ſacrorum canonum, aut generalium conciliorum, ſeu aliarum Apoſtolicarum traditionum diſpoſitionibus ſtatuta ſunt, ea omnia ſub pœnis in eiſdẽ contentis a Clericis omnibus obſeruari volumus & præcipimus.

Hæc autem omnia, & ſingula libenti etiam animo ſibi obſeruanda proponent, ſi meminerint, prout eos continuo meminiſſe monemus, ab Eccleſiaſtici ordinis hominibus, non eam modo viuendi rationem requiri quæ reprehendi non poſſit, ſed aliam præſtantiorem, quæ alios etiam ad pietatem inſtruere, & clericali ordini venerationem afferre debeat.

G De

Digitized by Google

De diuinis officijs.
Cap. xxvij.

SAcerdotes, & alij Eccleſiarum Miniſtri, cum ad diuinas laudes certis horis celebrandas, & Miſſæ ſacrum faciendum conueniũt, Eccleſiam ingreſsi, poſtquã Aqua benedicta ſe aſperſerint; ad Altare Sanctiſſimæ Euchariſtiæ accedant, ibique flexis genibus deuote Dominum venerentur, & adorent. Deinde ad ſacriſtiam euntes, decenti ſilentio ſeruato, ſuperpelliceum induant. Poſtmodum omnes ſimul ad Chorum moderato greſſu procedant, & in ſuo quiſque loco conſideat.

Facto ſigno per Præpoſitum, ſeu Vicepræpoſitos, omnes aſſurgant & Hebdomadarius diuinas laudes incipiat, ac cæteri alternatim proſequentes, cum timore ac tremore tamquam in coſpectu Domini concinant.

In medio cuiuſq. pſalmi verſiculo fiat ſuſpẽſio, ac cõgrua differentia inter feſtiuum, & feriatum officium.

In fine aũt cuiuslibet pſalmi, cum Sanctiſſimæ Trinitatis Elogium dicitur, omnes religioſe aperto capite aſſurgant.

In Choro dum manſerint, ſemper cum ſumma animi pietate in rem diuinam incumbant; nec ſtrepitus vlli, nec colloquia, nec riſus nec aliqui geſtus indecori fiãt.

Inter pſallendum, ſeu orandum, ſi quem errorem cõtigerit committi, a Præpoſito, ſeu Viceprępoſito corrigatur, qui prudenter, aut repeti, aut progredi mandet.

A choro ne recedant, niſi petita a Præpoſito licentia, ſiue a Vicepræpoſitis ipſo abſente; alioquin tanquam abſentes punctentur iuxta aliam Illuſtriſſimi D. Cardinalis Lomellini Prædeceſſoris noſtri Synodalem Conſtitutionem, quam nos, quatenus opus ſit, innouamus.

Qui ad matutinum non venerint ante finem primi pſalmi

pſalmi primi nocturni. Ad Miſſam ante Epiſtolã. Ad Veſperas autẽ ante finẽ primi pſalmi vti abſentes pũctẽtur.

Poſt abſolutum officium; ſeu miſſam, omnes genuflexi, tacite ſaltem Dominicam orationem dicant; tum ſurgentes, & inter ſe ſalutantes e choro diſcedant; omnes vna ad ſacriſtiam redeant; vbi, & non alibi ſuperpelliceum exuant.

Omnes in ſacris ordinibus conſtituti, vel Eccleſiaſtica beneficia obtinentes, canonicas horas quotidie recitare non omittant, ſub pœnis iuxta Bullam poſterioris Conc. Lateran. & Pij V. præter peccati reatum.

Canonici Almutiam (proprium eorum ſignum) tam in Eccleſia: quam in publicis proceſſionibus ſemper deferant.

In ſacriſtia, ſeu in Eccleſiæ atrijs nihil profanum tractent, cum exinde altercationes, & iurgia ſæpe oriri ſoleant cum laicorum ſcandalo, & cum maximo ſacerdotalis modeſtiæ dedecore.

Vt autem ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, ſolemnius, ac frequentius in hac Cathedrali Eccleſia peragatur; Conſtitutionem noſtram, quam ex decreto Trid. Conc. iampridem fecimus, vt ex XXIIII. Canonicis, ſexdecim ſint ſacerdotes; Quatuor vero Diaconi, & quatuor Subdiaconi, ipſam huius etiam Synodi auctoritate confirmamus, ac denuo ab omnibus obſeruari iubemus.

Cum de rebus ad Eccleſiam ſpectantibus Capitulum habendum erit, vnuſquiſque proponat, & reſpondeat, prout negotij ratio poſtulauerit, ex ordine quiſque ſentiam ſuam dicens, moderate tamen abſque clamore, & contentione.

Omnes ſub præſtiti iuramenti debito, ea ſemper ſincere conſulere ſtudeant, quæ ad diuini cultus obſeruantiã, & Eccleſiæ beneficium fore iudicauerint: & vt in hiſce actibus, & tractationibus, rixa, ſeu factio aliqua excitari non poſſit, quæ Canonicorum concordiam mutuam-

Digitized by Google

Fauent. Viſit.c.115.Decret.15.

quo beneuolentiam perturbare valeat, mandamus in poſterum, illud in eorum capitularibus deliberationibus firmum eſſe debere quod latis ſecrete ſuffragijs, & non aliter, maior & ſanior pars comprobarit.

Ead. Cart. Dec. 12.

In diebus feſtis capitulum ne fiat; niſi vrgens aliquid contingat.

Ne autem ex conuentus, & Conſilij defectu Eccleſiæ iura pereant; & bonorum eius diligens adminiſtratio prætermittatur; Canonici omnes ad Capitulum conuenire debeant qualibet feria quarta, ſeu alia die quando a Reuerendiſſimo D. Epiſcopo, Præpoſito, vel Vicepræpoſitis vocati fuerint.

Epiſc. Sarn. Viſ.

Seſſ. 22. De refor. c.11.

Qui Eccleſiæ bona adminiſtrant, ne in eorũ proprios vſus illa conuertere, vel indebite ſubtrahere, & vſurpare præſumant; prout etiam Reuerendiſſimus D. Epiſcopus Fauentin. Viſitator Apoſtolicus, eos monuit, quod ex Sacr. Conc. Trid. præſcripto, pœna excommunicationis latæ ſententiæ, talia agere præſumentibus impoſita ſit, & abſolutio Sanctiſſimo D.N. Papæ reſeruata.

Vt muneri ſuo quiſque ſatisfaciat: Nos auctoritate Conſtitutionum, tam Bonifacij Papæ VIII. quam Trid. Concil. necnon Reuerendiſsimi D. Epiſcopi Fauentin. Viſitatoris Apoſtolici mandamus, vt omnes Canonici per ſe ipſos munus ſuum obire debeant, non autem per ſubſtitutos. Ne autem in diuini cultus præiudicium, pactio, remiſſio, ſeu colluſio fiat, nullam contrariam conſuetudinem valere decernimus, qua abſenti, & non ſeruienti diei horæ, in qua quiſque muneri ſuo defuerit, diſtributiones quotidianæ dari poſſint, vel debeãt. Quod ſi dentur qui eas accipiet, ſuas non faciat; ſed eas reſtituere teneatur, quæ alijs ſeruientibus accreſcant; Qui colluſioni huiuſmodi aſſenſi non fuerint iuxta obſeruatum Eccleſiæ ſtylum.

Hortamur autem, ac monemus omnes, & ſingulos, qui perſonaliter reſidere, & in diuinis deſeruire tenentur; ne

mer-

mercenariorum more, quotidianis allecti ſtipendijs, ſed tanquam filij Dei, in atrijs Domus eius, hilares ſeruitutis ſuæ penſum Domino perſoluant, aliter enim nouerint mentalis ſimoniæ crimen incurrendi periculo ſe expoſituros; & hæc merces eorum eſſet.

Canonici tanquam Conſiliarij, & in ſacris functionibus Epiſcopi coadiutores, ipſum ad Eccleſiam præſertim Paſtoralis officij cauſa euntem, & in publico prodeuntem, domo deducant, & reducant.

Miſſam celebranti, ſeu alia Pontificalia munera exercenti aſſiſtant & accuratè operam ſuam præſtent prout cautum eſt Sacr. Conc. Trid. decreto. *Seſſ. 24. c. 12. de ref.*

De Præpoſito. Cap. xxviij.

PRæpoſitus, qui in hac Cathedrali præcipuus eſt, & poſt noſtram Pontificalem, primam dignitatem obtinet; ſciens, nullum aliud in Eccleſia præſtantius officiũ eſſe, nec magis neceſſarium, quàm vt diuini cultus ordinatio & celebratio rectè ab omnibus peragatur, ſumma inuigilet cura, vt Miſſarum Conuentualium ſolemnia, atque diuina officia per hebdomadarium, tam Miſſæ, quàm officij; Cantores per Hebdomadas; Diaconos, & Subdiaconos, & alios Clericos, tam maiores quàm minores congruis horis, & accuratè, & ea, qua decet Religione, ac ordine perſoluantur. Choro non intereſſentes per punctatorem punctari faciat, nec quicquam in diuini officij progreſſione prætermitti ſinat, ſeu indecore, ac præpoſtere agi. Quos verò in ſuo munere deeſſe, nec ſatisfacere, & negligenter ſe gerere cognouerit, arguat, & leues exceſſus puniat iuxta ſuam auctoritatem.

Qui quidem Præpoſitus præſit omnibus officialibus, videlicet Sacriſtæ; Camerario: Procuratoribus; Syndicatoribus, Granarolijs, cæteriſque Miniſtris ſupradictæ

Eccle-

Eccleſiæ; vt quilibet ipſorum omnia bona, tam mobilia, quàm immobilia fideliter, & ſolicitè adminiſtret, gubernet, cuſtodiat, diſpenſet, & diſtribuat reſpectiuè; ac poſſeſſiones, & terrena coli faciat, prout hactenus obſeruatum, & obſeruari comperimus; atque in fine cuiuſlibet officij quemlibet ex prædictis officialibus, rationem ſuæ adminiſtrationis diligentiſſime reddere curet.

De Vicepræpoſitis. Cap. xxix.

VIcepræpoſiti per Capitulum eligendi duo, in quolibet anno in creatione aliorum officialium, abſente Præpoſito, eius Vices gerant; & vnus ſine altero, excepta chori, & diuinorum officiorum cura; nihil agere poſſit; ſed ambo communicato conſilio; quæ agenda ſunt peragant; & ſi quis eorum abſuerit, durante abſentia, Capitulum alterum ſubrogare poſſit. Qui etiam ſyndicatorum officio fungantur.

De Officio Sacriſtæ. Cap. xxx.

QVolibet anno in creatione nouorum officialiũ, vnus ex Canonicis ad officium Sacriſtæ maioris eligatur: Qui Sacrorum vaſorum, & Sacerdotalium indumẽtorum, ſibi in inuentario aſſignatorum diligentem cuſtodiam habeat; illaque recte complicata ſeruet. Nec pro alterius Eccleſiæ vſu, ſine noſtra licentia vnquam commodare valeat. Tobaleas, & alia Altarium tegumenta, & ornamenta, munda ac nitida habere ſtudeat. Ceras, &

Oleum

Oleum cuſtodiat, ac lampades præſertim ante ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, luce ſemper accenſa tenere procuret.

Vinum, & hoſtias, ac alia omnia ad ſanctiſſimum ſacrificium neceſſaria diligenter præparare faciat. Labellum cum aqua; & manutergio, quod ſæpius immutetur, & mundum habeatur; quotidie purgari curet, vt Sacerdotes prius quàm ſacris ſe veſtibus induant, manus ſemper abluant.

In ferialibus diebus vnam ſemper miſſam in diei crepuſculo celebrari faciat, vt qui ad villam; & ad labores ſunt ituri, prius ſpirituali cibo animos ſuos paſcant; & vt opus quod agunt, proſpere feliciterque eis ſuccedat. Aquam benedictam quolibet Die Dominico innouare procuret.

Habeat duos ſubſtitutos Manſionarios Sacriſtas minores, per quos Eccleſiam; & altaria omnia decenter ornari, & præcipuè in feſtis diebus; aliaque omnia ſupradicta diligenter peragi curet.

Campanæ ſignum ad conuocandum clerum, & populum, congruis ac conſuetis horis dari faciat.

Duas Tabellas in Sacriſtia habeat omnibus inſpiciendas; in quarum vna Miſſarum, & Anniuerſariorum obligationes, quæ pro fidelibus defunctis ex onere in eorum teſtamentis impoſito celebrari debent, ac benefactorum nomina ſint notata: In Altera verò vniuſcuiuſque Cappellæ, & Altaris deſcriptæ ſint Miſſæ, & officia ſolemnia, quæ per annum, tam à Canonicis, quàm ab aliis Cappellanis, & Rectoribus obeunda erunt.

Ne autem defunctorum animæ ſuo voto, ac deſiderio fraudētur; Curet idem Sacriſta ſub ſuæ conſcientiæ onere, vt munera omnia in his duabus tabellis deſcripta, omnino, à quibus debent, adimpleantur, ſub pœnis per nos in eiſdem appoſitis.

Miſſę celebrentur primo, aut ſecundo, aut tertio loco

iuxta

iuxta dictarum tabellarum ordinem. In Sacriſ
mittat, vt rixæ, ſeu ſtrepitus fiant, nec laicos i
ſari ſinat.

Qui quidem Sacriſta pro tempore, etian
officio fungatur cum prouiſione medietati
Clericatus Sancti Andreæ iuxta formam vi
ſtriſſimi D. Cardinalis Lomellini Prædeceſſ
quam, quatenus opus ſit, innouamus, confir
dimulgamus.

De Pœnitentiario. Cap. xxxj.

Seſſ. 24. c. 8. de refor.

POenitentiarius, qui ex noſtra Inſtitutione
thedrali Eccleſia, nuper iuxta formam C
cum vnione Canonicatus, ex prouiſione A
eſt adiunctus onus habeat audiēdi confeſſion
Eccleſia omnium, & ſingulorum, tam Ciui
Diœceſis, ac aliorum ad Ciuitatem confluen

Quolibet die Dominico infra Miſſarum ſo
nunciet Ieiuniorum dies, & feſta ex præcepto
dine, ſeu ex particulari Ciuitatis deuotione ſe
pulo, pio ſemper eum ſermone adhortans, vt
uilibus, vaniſque ſæculi curis, in alijs pietatis,
& Chriſtianæ Religionis operibus ſeſe ſalut
ceat.

Ex ſanctorum geſtis aliquid ſemper recit
ceat, quemadmodum Pia Mater Eccleſia
merita celebrans, eorum nobis proponit ſe
ſtigia, vt ſicut illi per fidem vicerunt regna, o
iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones; ita nos
eorum imitatione ſobriè, iuſtè, pièque viuen
peruenire conſortia ſtudeamus.

Digitized by Google

De Curato Cathedralis Eccleſiæ. Cap. xxxij.

ETſi animarum cura totius Ciuitatis inter plures Parochialium Eccleſiarum Rectores diſtributa ſit; nihilominus cum etiam Cathedrali Eccleſiæ vnus ex Capitulo Curatus quotannis eligi conſueuerit, qui habeat curam animarum Contratæ Caſtelli contiguæ dictæ Cathedrali Eccleſiæ. Et hanc electionem Illuſtriſsimus, & Reuerendiſſimus D.Cardinalis Lomellinus Epiſcopus prædeceſſor noſter ſuo ſtatuto ſeruandam decreuit, cum aſſignatione medietatis fructuum Clericatus Eccleſiæ Parochialis S. Andreæ. Nos illam pariter commendantes, ac ſimili modo ſeruandam mandantes, Curatum in hac Synodo electum, in primis monemus, vt in Sacramentorum adminiſtratione, ita ſe gerere ſtudeat, vt merito cæteris animarum Curatis exemplo ſit.

Matrimonia contrahenda, iuxta Sac. Conc. Trid. & Reuerendiſſimi D.Annibalis de Graſſis Epiſcopi Fauentini Viſitatoris Apoſtolici decreta; pronunciet; ſacri Baptiſmi fontem, nitidum, beneq. clauſum ſeruet.

Sacra olea decenter, ac ſecuro in loco cuſtodiat. Aquã die quolibet Dominico benedicat.

Cum ad Cathedralem mortui alicuius cadauer defertur; ipſe cum ſtola, & pluuiali nigri coloris officiũ faciat.

De Cæremoniarum Magiſtro. Cap. xxxiij.

CAeremoniarum Magiſter quàm diligentiſſimè curet, vt omnia, quæ ad cæremonias attinent; iuxta S.

R. E. ritus, ac Pontificalis, & Miſſalis rubrica
ordine ab omnibus peragantur.

In Choro dum Diuina celebrantur, omnil
ac indicet, quando ſtandum, & ſedendum, ca
tendum, aut genuflectendum erit, & omnes
ordinis ac dignitatis fuerint, quo ad cæremo
nus ipſi pareant.

Miniſtros quoſcumque officij ſui diſcrete
Adoleſcentes, ac alios clericos minus peritos,
publicè aliquid canant, ſeu recitent, in Sacri
& erudiat.

De Canonicis Cantoril
Cap. xxxiiij.

CAntores Canonici, qui ex Cathedralis h
ſiæ conſuetudine, Chori Magiſtri officio
& in ſingulas hebdomadas deliguntur feſtis
ta eiuſdem Eccleſiæ morem Pluuialia induai
phonas cæteris Canonicis præintonent; ver
& ad Lectorinum, cum opus fuerit, accedant
cumque officij hora, ſeu in Miſſa, quæ cane
genda erunt, præuideant, ac alijs proponere c

Antiphonas, Reſponſoria, & Gradualia c
piant concorditer, rectè à cęteris quoque Ca
tentur, voces extollendo, ſeu demittendo,
conſonum eis videbitur. Et vt omnia, prout
ne peragantur, ij, antequam officium incho
præparent, & quæ pſallenda erunt inuenian

Cæteri omnes his aſſentiri, & parere ſtude
diſſonum audiatur, quod populi auribus pr
moleſtiam afferat.

Prædicta omnia etiam in ferialibus diebi

Digitized by Google

cantu, vel ſine cantu, & ſine Pluuialibus, vt ad huc ſeruatum eſt, præſtabunt.

De Clericis maioribus, & minoribus. Cap. xxxv.

DVo Clerici maiores per nos iam prouiſi Altari maiori teneantur, dum diuina officia celebrantur, ſemper in choro intereſſe; Miſſæ conuentuali, & ſolemni inſeruire, ac dictum Altare maius, quando Sacriſta iniunxerit, ornare, & alia pro ornamento totius Eccleſiæ, & ſeruitio cultus diuini peragere.

Ad quæ diligenter, & accuratè præſtanda teneantur etiam cæteri Clerici minores, qui ad minus quatuor in hac Cathedrali eſſe ſolent ad nutum amouibiles, cum prouiſione, & aſſignatione omnium, & ſingulorum fructuum Eccleſiæ S. Angeli, auctoritate Apoſtolica, & noſtra ordinaria vnitorum reſpectiuè.

Ijdem Clerici minores ſemper, & aſſiduè Eccleſiæ deſeruiant, Miſſis priuatis miniſtrent, & Sacriſtæ maiori præſto eſſe, alacriq. animo parere debeant.

Ad veſperas venire omnino ne omittant, præſertim quando fuerint paratæ, & in omnibus proceſſionibus præſentes eſſe ſub arbitrij noſtri pœnis.

De Manſionarijs, & Punctatoribus. Cap. xxxvj.

DVo pariter Sacriſtæ minores, ſeu Manſionarij à Capitulo ſingulis annis deputentur, quorum officium præcipuum ſit obedire maiori Sacriſtæ, Hoſtias, ſeu for-

mas pro ſacrificio conficere, claudere, & a
Eccleſiæ; eiuſdem pauimenta ſcopis munda
nas ſonare: Altaria òrnare: Lampades mu
cenſas tenere; luminaria accendere; & alia
in Eccleſia functiones, & munera exequi, it
decorũ, nihil inordinatum in domo Domini
Habitent ijdem in cubiculis contiguis Sacri
ſuo officio negligentes fuerint, eos Præpoſiti
& caſtiget.

Qui Manſionarij ex conſuetudine in hac
Eccleſia punctatoris officiũ exerceant; ſtati
ſentis Synodi abſolutionem, coram nobis i
ſpondeant, ſe in hoc munere debitam fidem
tiam præſtituros; & in libro punctationum
perſonarum acceptione annotaturos omne
los, qui Canonicis horis, ac Miſſæ conuentu
perſonaliter, iuxta Eccleſiæ obſeruantiam
fuerint, & librum punctationũ ſe fideliter ſer
illum ſingulis menſibus, & alias, quandocun
ſiti fuerint, & nobis, & Capitulo, prompt
ros.

Qui ad hoc punctatoris officium poſthac
ſi commodè fieri poterit, ſint in ſacris ordin
tuti, præſtito per eos prius fidelitatis iuran
nibus noſtris, ac Capituli. Si vero eos in hoc
rectè, nec fideliter ſe geſſiſſe conſtiterit; neg
delicti pœnis irremiſibiliter puniantur, ſcili
periurij, ac alijs arbitrio noſtro.

Punctationes qualibet hebdomada die S
Veſperas publicè coram omnibus Canonici
promulgare, & in libro annotare teneantur; n
ius gratificationem excuſatio aliqua minus l
mittatur; cum omnis indebita remiſſio, no
in animarum præiudicium, ſed etiam in diui
minutionem, quem potius ab omnibus auger

Digitized by Google

De Proceſsionibus, & Supplicationibus. Cap. xxxvij.

GEnerales proceſsiones omnes à noſtra Cathedrali ſemper incipiant, & ad eandem redeant, ad quas aliarum Eccleſiarum Rectores cum ſuis Clericis ſuperpelliceis induti, & crucem præferentes conuenire debeant. Sanctiſſimæ Crucis vexillum in proceſſionibus, & in mortuorum exequijs; non per laicos habitu laicali, ſed per clericos veſtibus clericalibus indutos, ſemper deferatur.

Regulares quoque vocati, quamuis exempti, ex Sac. Conc. Decreto ſimiliter conuenire teneantur, in habitu ſuorum ordinum.

Confratres itidem conuenire debeant induti ſaccis, & cum inſignibus confraternitatis eorum: Qui autem antiquiores ſunt, alios præcedant, prout nunc in hac Ciuitate obſeruatur.

Et omnes adſint in Eccleſia antequam ſanctiſsimę Trinitatis inuocatio decantetur. A proceſsione nemo diſcedat, neque in via eam deſerat; ſed ad eandem Eccleſiam Cathedralem omnes ſimul proceſsionaliter redeant; vt pijs omnium precibus ſupplicationes terminentur.

De ſimplicibus Presbyteris, & Clericis. Cap. xxxviij.

SIcut laicis hominibus in feſtis diebus Miſſæ ſacrificio non intereſſe; ſed eo tempore vana, ac profana tractare, imputatur ad crimen; ita multo magis Sacerdotibus, ac clericis illud idem facientibus, & vitio, & dedecori

decori verti debet. Quare Nos huic Sace ricorum defectui prouidere volentes, m nē quantumuis ſimplicibus Sacerdotibu ricis intra ciuitatem degentibus, nec ali ſeruitio mancipatis; vt Dominicis, & alijs hora Miſſæ maioris, ac Veſperarum, co ad Eccleſiam maiorem cum cottis, ſicut c Miniſtri. Qui vero tribus continenter feſ lo legitimo impedimento detenti, ſed ex gentia, & indeuotione conuenire neglexe biles reddimus, ac declaramus, ad bene que in hac Ciuitate per menſes ſex, & h ties &c.

De Regularibus. Cap

OPtantes cuiuſcumque ordinis Regula ria in hac Ciuitate habentes; vt nobis mini ſalubriter excolenda comminiſtros eos in Domino rogamus, vt Populo Nob nobiſcum veræ pietatis exempla præſt in conuerſatione, in charitate, in fi ſtitate: Monentes etiam eos, vt ratè exequi ſtudeant, quod ſan Tridentina Synodus, de le ctione ſacræ Scripturæ, in eorum Conuentibus inſtituenda, decre- uit.

❖❖❖

De Sanctimonialibus.
Cap. XXXX.

PRudentes Virgines, quæ, ſpretis mundi huius illecebris, ſancto propoſito ſeſe in Monaſterium abdiderunt; ne ab optima, quam elegerunt, parte, iterum ex inanium rerum aſpectu modo aliquo deflectant, præcipuè euitare nitantur ſæcularia hominũ colloquia, quæ ſicuti à ſæculo procedunt, ita pijs illarum votis officere poterunt, & vt iugiter rerũ diuinarum contemplatione in via Domini proficiant; oculos quoque diligenter auertant, ne vanitates videant. Linguam adeo cohibeãt, vt in ſilentio ſemper manere congaudeant, nec labia vnquam aperiant, niſi ad laudes Domini annunciandas. Totam ſuam vitam, ac mores in aſſiduo, fideli, ac humili D. N. Ieſu Chriſti obſequio ita componant, vt earum corda quàmlongiſsimè à ſæculi cogitationibus, cupiditatibuſve ſeruent, & toto animo ſalutaria Regulæ præcepta adimplere ſtudeant; vt à cœleſtis gloriæ Rege ad æternę beatitudinis gaudia tandem perduci mereantur.

Nos igitur ex Paſtoralis muneris noſtri debito, Monialium noſtræ Iuriſdictionis in Monaſterio huius Ciuitatis, Ordinis S. Damiani, degentium ſaluti inuigilantes, ex Sac. Conc. Trid. auctoritate hæc præcipienda, & ordinanda duximus, quæ ſequuntur.

Monaſterij anterior ianua, perpetuo duabus clauibus clauſa ſeruetur, quarum alteram ex interiori parte Abbatiſſa; alteram vero ex parte exteriori Capellanus, ſeu Cuſtos ſeruet, & teneat.

Ad feneſtras omnes, quæ Ciuitatem, & Palatium publicum proſpiciunt, lignei cancelli ſemper habeantur; prout iuſſu noſtro iam pridem poſiti fuerunt.

Poſterior autem ianua ad vſum cellæ vinariæ conſtru-

Digitized by Google

ćta, vindemiarum tantum tempore aperiatur.

Intra Monaſterij ſepta, nulli omnino, neque mari, neque fœminæ, ſub excommunicationis pœna, ingredi liceat, ijs tantum exceptis, quibus ex eiuſdem Sanctæ Synodis Decreto poteſtas, quotannis à nobis ſcripto renouanda, permittitur. Sub eadem quoque excõmunicationis pœna mandamus laicis omnibus, tam maribus, quã fœminis, ne ad dictum Monaſterium accedant, vt cum Monialibus colloquantur, abſque ſpeciali noſtra licentia, exceptis earum parentibus, qui tamen cum filiabus ſuis tantum ſermonem habebunt, non autem cum alijs.

In reliquis, tam ab Abbatiſſa pro tempore, quàm ab aliis Monialibus omnia alia obſeruari iubemus, quæ à Concil. Trid. circa proprietatem, clauſuram, Abbatiſſæ, & aliarum officialium electionem, Sacramentorum frequentiam, admiſſionem, & profeſſionem, decreta ſunt, & à Reuerendiſsimo D. Epiſcopo Fauentino vltimo Viſitatore Apoſtolico, & à nobis in Viſitatione pro eiuſdem Monaſterij conditione eiſdem Monialibus propoſita, ac ſcripto tradita fuerunt, ſub pœnis à iure ſtatutis, ac aliis arbitrio noſtro, pro culpæ, & inobedientiæ qualitate, imponendis.

De Hoſpitalibus, & Confraternitatibus. Cap. xlj.

CHaritatis officia in pauperes, & egenos copioſam in cælis mercedem habent. Quare ne pauperes merito conqueri poſſint, in locis pijs ad peregrinorum, & ægrotorum ſolamen præcipuè inſtitutis, pietatis opera non exerceri, & eorum inopiæ nullum ibi auxilium præſtari, vbi Chriſti patrimonium adminiſtratur, Nos cuius ſtudio, ac Curæ hæc maximè commendantur: Præcipimus,

Digitized by Google

mus,vt ad piorum locorum adminiſtrationem ij tantum poſt hac deligantur, quorum probitas, fides, ſedulitas, & charitas, plurimorum teſtimonio ſit comprobata, & qui eorundem locorum debitores non exiſtant. Quique fructus,& redditus,non in profanos, nec in ſuos proprios,ſed in deſtinatos tantum vſus conuertant. Bona tam mobilia, quàm immobilia nemini vendant, donent,permutent,nec in Emphyteuſim,aut alias,in annuũ cenſum,nec etiam ad breue tempus,vltra triennium concedant,abſque conſenſu noſtro, ac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ approbatione, ſi de alienatione ad longum tempus agatur. Decernentes ex nunc, irritum & inane quicquid ſecus factum fuerit: Bona vſurpari non permittant; ſed vſurpata quoquo modo recuperare curent.

Dati,& accepti ſingulis annis rationem reddant,cum interuentu noſtro,ſeu Vicarij noſtri; & generatim omnia,& ſingula alia fideliter,ac diligenter obſeruent, quæ ipſis propoſita ſint,tam à dictorum piorum locorũ Conſtitutionibus,quàm ab eodem Reuerendiſſimo D. Fauentino vltimo Viſitatore & à nobis in decretis, & ordinibus,per nos in Viſitatione eiſdem ſcripto traditis ſub pœnis in ipſis contentis.

Card de laicorum ſodalitatibus c. 135.

Vt etiam omnis intemperantiæ occaſio à pijs locis remoueatur, interdicimus omnibus Confratribus cuiuſcunque ſodalitatis ſub excommunicationis pœna, ne in ædibus Confraternitatum, & Hoſpitalium conuiuia, & commeſſationes agant, ſed ſi forte ob eam rem, in alias ædes conuenire voluerint,ſub eadem pœna præcipimus, ne ex Confraternitatum, ſeu Hoſpitalium bonis quicquam in eum ſumptum erogare præſumant, ſub pœna etiam in eiuſdem Reuerendiſſimi Epiſcopi Fauentini Viſitatoris ordinationibus contenta.

De Vicarijs Foraneis. Cap. xlij.

QVoniam externum noſtrum Gregem per nos aſſidue(vt nobis cordi eſſet) in via mandat Dei dirigere ad vitæ Innocentiam, ad pacem, & a terarum Virtutum profectum adhortari,& induce quimus: Vicarij noſtri Foranei ſua diligentia, n hoc noſtrum adimplere ſtudentes, curabunt in o ac locis ſibi commiſſis, vt omnia rectè agantur, q Diuini cultus obſeruantiam, & animarum curam nere cognouerint;nulla de cauſa,niſi à nobis ſcript bata,permittentes, vt Curati à ſuis Parochiis diſce nec ſuum munus in aliquo deſerant;ſed inuigilent, ipſa per eoſdem omnia præſtentur,quæ ex eorum debito tenentur, ac præcipuè ſcire contendant, an nus cultus in eorum Eccleſiis ritè peragatur.

Quos verò in aliquo minus ſatisfacere,ſeu delin inuenerint;eos primum fraternè corripiant, deind pus erit,eorum errores ad nos denuncient.Clerum in menſe conuocent,& ſedulo inter ſe,excluſis laici ferant quæcumque ad animarum curam rectè g dam pertinent.

Vnuſquiſque ſuæ Parochiæ difficultates, & caſ bios proponat, vt communi conſilio,quid agendu rit,explicetur.

Querelas ſi quæ inter ipſos Sacerdotes, & Cl fuerint;audiant,componant,ſeu ad nos deferant,

Libros ex decreto noſtro familiares habendos compellant.

Abuſus,ſi qui irrepſerint,prorſus tolli, & aboler niaque alia, ac ſingula in hac noſtra Synodo ipſis i cta,per eoſdem exequi,ac perſolui curent.

Pe

Pecunias pro Eccleſiarum reparatione, ſeu ornamento pie relictas in illud opus omnino exponi, & erogari quamprimum iubeant.

Eccleſias ſæpe, ac diligenter perluſtrent, & non modo inquirant, quemadmodum Curati in debito ſuis Populis impendendo ſe gerant, ſed etiam, an omnia, ac ſingula quæ per nos in Viſitatione ordinata fuerint, aut pro Eccleſiarum reparatione, aut pro Diuini cultus amplificatione re ipſa præſtentur, & executioni demandentur. Noſque de omnibus quàm ſæpiſſimè certiores faciant.

Omnes per Diœceſim noſtram, prima tonſura initiatos, & in minoribus conſtitutos feſtis ſaltim diebus Eccleſiæ Archipresbyterali inſeruire compellant.

De rebus autem ſuæ curæ commiſſis ſingulis menſibus ad nos diligenter perſcribant.

Cathedraticum menſæ noſtræ Epiſcopali, ac ius tombarici perſolui ſolitum, nec non quartam funeralium integram, prout ex Sacr. Conc. Trid. decreto mandatur, ab omnibus Eccleſiarum Rectoribus, aliiſque quorum ea eſt obligatio exigere, & de acceptis rationem ſingulis annis reddere nobis, ſeu Vicario noſtro Generali debeant.

De legatis pijs, antequam defunctus ſepelliatur, ab hæredibus, & Curatoribus ſuis quærant, eaque in librum referant, & infra ſex menſes, niſi breuius à teſtatore tempus aſſignatum fuerit, exigi curent.

Notarios rogatos moneant ſub excommunicationis pœna, vt de publicis eorum libris notam fideliter exſcriptam tradant, ſoluta tamen eis congrua pro legati qualitate mercede.

Vt autem Vicarijs ipſis debitus honor, & obedientia præſtetur, præcipimus omnibus, ac ſingulis Archipreſbyteris, aliiſque Sacerdotibus & Clericis, vt in ijs, quæ ad eorum officium ſpectant, ipſis parere teneantur ſub noſtri arbitrij pœna.

Digitized by Google

De Promouendis ad Parochiales, & eorum Examine. Cap. xliij.

POpuli noſtri vtilitati proſpicientes,& ne diutina Parochialis Eccleſiæ vacatio aliquod detrimentum afferat, ſi debitis interim muneribus, ac officijs deſtituatur. Mandamus,vt cum primum Parochialem aliquam vacare contigerit,intra triduum,ad noſtræ Cathedralis,& vacantis Eccleſiæ ianuas publicum edictum, noſtra vel Vicarij noſtri manu firmatum affigi debeat, quo omnes, qui examinari voluerint, inuitentur, vt in termino ex tunc dierum X. compareant, & examini ſe ſubijciant; quo tempore tranſacto, examen quàm diligentiſſime fiat: Vicarij verò foranei,cum in ſuis oppidis vacatio occurrerit,ſuis nos litteris ſtatim admoneant, vt idem edictum per eos ſimiliter affigatur,& promulgetur.Et vt nõ niſi digni ad beneficia eiuſmodi, & ad animarum curam aſſumantur. Monemus in primis examinatores,vt quod in eorum deputatione iureiurando promiſerunt, illud fideliter exequi ſtudeant,omnia ac ſingula in promouendis,per Sacros Canones,& præcipuè per Conc. Trid. requiſita,diligenter perquirant,obſeruent,ſcientes hinc potiſſimum pendere,& ipſius orbatæ Eccleſiæ, & fidelium animarum,vtilem ſalutaremq. prouiſionem.

Seſſ. 24.c. 8 de refor.

Examinandus,poſtquam legitimè probauerit,ſe ex legitimo matrimonio, & ex Catholicis parentibus ortum, vbi,& qualiter educatus,&quæ eius vita,& conuerſatio, quodque nullo fuerit crimine inquiſitus, vel ſuſpectus, nullaque infamia notatus; quod non bigamus; & à quo tempore ſacris initiatus; nec non quod nullo corporis vitio,præſertim exitiali morbo laboret; Et quod in ætate ſit

legi-

Digitized by Google

legitima conſtitutus, explorata quoque eius animi modeſtia, prudentia, & continentia, & quod animi deuotione ductus, non autem vt ſuæ potiſſimum commoditati cōſulat, Eccleſiaſtica munera quærat. Poſtmodum perquiratur de eius ſcientia, & eruditione, & præſertim quā peritiam de pœnitentialibus Canonibus habeat; cum eos quaſi regulas quaſdam ediſcere, & ſapienter vti Iudex, & arbiter, ex peccati circumſtantiis, ac ex contritionis qualitate moderari debeat.

Qui verò ex congruis, eruditiſque reſponſionibus ad onus vacantis Eccleſiæ idoneus vnanimi examinatorū ſententia iudicatus fuerit; huic de huiuſmodi iudicio, & approbatione per Cancellarium noſtrum publica fides, & atteſtatio fiat.

Si autem ex iure alicuius patroni laici præſentatio, vel nominatio interceſſerit, priuſquam per nos ad inſtitutionem canonicam procedatur, volumus, & mandamus (vt omnis ad ſimoniæ labem aditus præcludatur,) quod præſentatus prius iuramentum infraſcriptum in manibus noſtris præſtet.

Ego. N. præſentatus ad beneficium N. iuro per ſacroſancta Dei Euangelia, quæ manibus meis tango; neque me huius beneficij obtinendi cauſa, neque vt ad id præſentarer; neque alium quempiam nomine meo, me ſciente, & conſentiente, quicquam alicui dediſſe, promiſiſſe, aut prius datum confirmaſſe, ſeu ob id compenſaſſe, nec de bonis Eccleſiæ, tam præſentibus, quàm futuris, quicquam modo aliquo remiſiſſe, ſeu pactionem aliquam feciſſe, ſeu me facturum promiſiſſe, ita me Deus adiuuet; & hæc Sancta Dei Euangelia.

Ne autem beneficiorum Eccleſiaſticorum fructus, in ſucceſſorum præiudicium quouis prætextu vendantur, ſeu alienentur; Præcipimus omnibus Eccleſiarum Rectoribus, ne pendentes adhuc ſuorum beneficiorum fructus vendere, ſeu alienare præſumant abſque noſtra licentia

centia ſpeciali ſcripto obtenta, aliter facta venditio, & alienatio irrita ſit, & nulla. Prouiſi verò de beneficiis quibuſcumque intra menſes tres poſt adeptam poſſeſſionē bonorum omnium, tam mobilium, quàm immobilium beneficij eiuſdem inuentarium fideliter conſcriptum nobis, ſeu Vicario noſtro præſentare debeant, in Archiuio Cathedralis Eccleſiæ noſtræ aſſeruandum.

De rebus Eccleſiæ non vſurpandis, & de male alienatis recuperandis. Cap. xliiij.

QVæ pia fidelium voluntate Sanctis Eccleſiis, & earū Miniſtris, aliiſque piis locis ad pauperum inopiā ſubleuandam tradita, & aſſignata ſunt; ea ne in profanos, ſeu proprios vſus improbè auertātur, ſiue Miniſtrorum incuria dilabantur, aut minuantur, ſedulo à nobis curandum eſt. Quare ex Sacr. Trid. Conc. auctoritate ſacrilegum hoc ſcelus comprimere, & à commiſſo nobis grege remouere volentes; Præcipimus Eccleſiarum omnium Rectoribus, ac piornm locorum adminiſtratoribus; vt intra trium menſium ſpatium, à præſentis Synodi abſolutione, locationes, & alienationes Eccleſiaſticorum bonorum adhuc quomodolibet factas, nec à ſancta Sede Apoſtolica confirmatas, diligenter conquirere, exactiones, annuoſque cenſus, ac redditus, & alia Eccleſiarum iura quæcumque indebitè, ſeu per fraudem vſurpata, ſcripto nobis denunciare fideliter debeant; vt indemnitati Eccleſiarum, & occupantium ſaluti opportunis iuris remediis conſulere, ac prouidere poſſimus.

Et vt homines ab hoc ſacrilegio admittendo pœnæ ſeueritate deterreantur; ne omittant parochi in Miſſa primo

mo quoque Dominico die Aduentus, & Quadrageſimæ decretum Sac.Conc.Trid.ſeſs.22.c.11. nec non ex Bulla Cœnæ Domini eiuſdem excommunicationis ſententiã publice populo recitare.

Si quæ verò Eccleſiarum bona laicis conceſſa aliquo modo caduca ſint effecta, ſeu pro tempore fiant: Præcipimus eiſdem Eccleſiarum Rectoribus,& piorum locorum adminiſtratoribus, ſub excommunicationis pœna, vt illa nobis quamprimum denuntient; ne in damnum Eccleſiarum,& contra Sacrorum Canonum formam ipſorum incuria, aut colluſione, ſeu quouis alio minus debito modo,caducitatis pœna remittatur.

Interdicimus etiam Rectoribus Eccleſiarum, ac quibuſcumque piorum locorum adminiſtratoribus, ne eorum propinquis, ſeu affinibus vſque ad tertium gradũ, neque per ſuppoſita nomina,Eccleſiarum,ſeu piorum locorum bona;locare valeant, abſque aſſenſu, & noſtra licentia;ſi ſecus autem à quoquam factum fuerit,illud omne irritum,& nullum decernimus, ac declaramus.Ac propterea monemus,omnes & ſingulos Eccleſiarum Rectores,nec non quoſcumque Hoſpitalium, & Confraternitatum adminiſtratores;ne publicis,aut priuatis perſonis, vel nominibus bona vlla,non mobilia,aut mobilia; prætioſa ad dictas Eccleſias,& loca pia quouis modo pertinentia, donent, vendant, permutent, in emphyteuſim, aut in annuum cenſum, ſiue perpetuum,ſiue ad tempus, tradant abſque conſenſu noſtro, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ approbatione. Quicquid verò contra hoc decretũ factum fuerit,irritum ſit,& inane.

Notarios quoſcumque, qui ſuper eiuſmodi vetitis, ac illicitis alienationibus contractus,vel inſtrumenta confecerint,ſcripſerint,ſeu aliorum confectioni cõſenſerint; in excommunicationis maioris ſententiam incidiſſe denunciamus.

Ne autem in decimarum ſolutione Populus per inſci-

tiam

tiam peccatum incurrat, Parochi ſimiliter inter Miſſam, & Prædicatores in Concione primo quoque Aduentus, ac Quadrageſimæ Dominico Die Populum moneant, ipſique claris verbis enuntient, quid à Sac. Concil. Trid. de Decimarum ſolutione ſit ſtatutum, & omnibus explicent, ac notum faciant, quod anathematis vinculo ſtatim innodatur quiſquis Eccleſiarum bona, & iura indebitè detinet, vehementer adhortantes omnes, ac ſingulos, vt anathematis huiuſmodi pœnam euitent. Et qui hu ius ſceleris ſibi conſcij ſint, ſuæ ſaluti per reſtitutionis, & Apoſtolicæ abſolutionis remedium conſulant.

DECRETI DE DECIMIS SOLVENDIS.

Seſſ. 25. c. 11. Vulgari lingua per Parochos Populo recitandi Tenor.

NON ſi deuono ſopportare quelli, che con varie arti, cercano di ſottrahere le Decime, che eſſi deuono alle Chieſe, ouero che temerariamente occupano le douute da altri, ò le conuertono in vſo proprio. Eſſendo il pagamento delle decime coſa, che ſi deue à Dio; & quelli, che ricuſano di darle, ò che impediſcono altri à darle, ſe vſurpano le coſe d'altri. Commanda dunque la Santa Sinodo à tutti di qualſiuoglia grado, ò conditione obligati à pagar' Decime, che quelle, ſi come di raggio ne deuono, nell'auuenire integramente paghino alle Cathedrali, & à tutte l'altre Chieſe, ò perſone alle quali legitima-

gitima-

Digitized by Google

gitimamente ſi deuono. Et quelli, che l'vſurpano, ò l'impediſcono, ſiano ſcommunicati, nè da queſto peccato ſiano aſſoluti, ſe non fatta prima intiera reſtitutione.

Tenor Decreti contra occupantes bona Eccleſiaſtica.

Seſſ. 22. c. 11.

SE l'auaritia radice di tutti i mali intanto occuperà l'animo di alcun Chierico, ò Laico, di qualunque dignità riſplenda, anco Imperiale, ò Reale, che preſuma per ſe, ò per altri, con forza, ò con timore, ouero ancora per ſuppoſite perſone di Chierici, ò Laici, ouero con qual ſi uoglia arte, ò procurato colore, conuertire in proprio vſo, & occupare, & impedire, che non ſi riceuano da coloro, à chi di raggione toccano le Giuriſdittioni, Beni, Cenſi, è raggioni anco feudali, & Enfiteotiche, frutti, emolumenti, ouero qualſiuoglia conuentione, che ſi debbano conuertire, in neceſſità de Miniſtri, ò poueri d'alcuna Chieſa, ouero di qualunque Beneficio ſecolare, ò Regolare, di Monte di Pietà, & d'altri luochi pij: Queſto tale ſottogiaccia all'Anathema, cioè alla maledittione, & ſcommunicatione maggiore, ſin tanto, che hauerà intieramente reſtituito alla Chieſa & ſuo Amminiſtratore, ò Beneficiato, le Giuriſdittioni, beni, robbe, raggioni frutti, & rendite, le quali harà occupato, ouero in qualſiuoglia modo, anche per donatione di ſuppoſita perſona gli ſaranno peruenute nelle mani; & dopò hauerà ottenuta l'aſſolutione dal Santiſſimo Signor Noſtro Pontefice Romano. Et ſe ſarà Padrone della medeſima Chieſa, ſia ſubito, oltre l'altre pene, priuo anco del Iuſpatronato, & il Chierico, che ſarà ſtato fabricatore di queſto ſcelerato inganno, & di tale vſurpatione, ò ne ſarà ſtato conſentiente, ſottogiaccia alle medeſime pene; & di più reſti priuato

K d'ogni

Digitized by Google

d'ogni ſorte di beneficio, & ſia fatto inhabile à qualunque altro benefitio, & anco dopo l'intiera ſotisfattione, & aſſolutione reſti ſoſpeſo dall'eſſecutione de ſuoi ordini ad arbitrio del ſuo ordinario.

Ex Bulla Cœnæ Domini.

EScommunicamo ancora, & anathematizamo quelli, che vſurpano, ò ſottragono le Giuriſdittioni, ò frutti, ò rendite, è prouenti appertinenti à perſone Eccleſiaſtiche, e per loro ottenuti, ouero per qualſiuoglia occaſione, ò cauſa ſenza eſpreſſa licenza del Pontefice Romano le ſequeſtrano, ouero che ſenza ſimile ſpeciale, & eſpreſſa licenza del Pontefice Romano, impongono Collette; Decime, taglie, preſtanze, & altri peſi alli Cherici, Prelati, & altre perſone Eccleſiaſtiche, ò à loro beni, ò delle Chieſe, Monaſterij, & altri benefitij Eccleſiaſtici, & à frutti, renditi, è prouenti di quelli, e con diuerſi eſquiſiti modi le riſcuotono, ouero l'accettano da chi gli le dà, & concede ſpontaneamente.

De Excommunicatione. Cap. xlv.

CHriſtiano homini nihil magis eſt timendum, quam excommunicatio; ſpiritualis enim gladius eſt, cuius ictus magis timeri debet, quã Gladij materialis; ait enim Beatus Auguſtinus. Grauius eſt hoc ſpirituali gladio feriri, quam illo materiali, vel quàm ſi à feris deuoraretur, vel quam ſi flammis vreretur. Propterea ſicut ſpirituales Iudices diſtrictè monentur, ne ex quauis leui cauſa hoc gladio feriant, ſed tantum ex cauſis grauiori-

uioribus, & re prius diligenter examinata; ita nos fideles quoſcumque Paſtorali muneri noſtro creditos enixe obteſtamur, vt hanc Eccleſiæ vltionem formidare, omnique animi timore euitare curent.

Parochi itaque fidelium ſaluti inuigilantes, ne omittant frequenter Populum ſuæ curæ commiſſum monere, vt præcipue omni timore, ac tremore fugere nitatur ſimoniam, ſacrilegia, rapinas, hæreſes, & alia quæcumque criminum genera, propter quæ ex Sacr. Conc. Triden. aliorumque ſacrorum Canonum decretis excõmunicationis pœna infligitur, ſed potius vnuſquiſque Sanctæ Matris Eccleſiæ præceptis obtemperando, bonis operibus ſtudeat ſe in via mandatorum Dei fideliter cuſtodire.

Quam ſæpiſſimè etiam in anno Populo denuncient; quàm periculoſum, & graue ſit in excommunicatione perſeuerare, nam qui per annum in ea perſeuerat, ſuſpectus de hæreſi efficitur, & contra eum, tamquam de hæreſi ſuſpectum procedi poteſt. Et ſi contingerit excommunicatum ex ſua Parochia ad aliam longius accedere, Curatus ſtatim Presbytero illi Curato ſignificet ipſum excommunicatum eſſe, excommunicationiſque cauſam deſcribat, ne vnius contagio aliæ oues corrumpantur; & vt excommunicatus, dum ab omnibus ſe vitari viderit, ſaltim ex hoc rubore perfuſus, ad humilitatis effectum, & reconciliationis gratiam obtinẽdam, facilius inclinetur.

De Simonia. Cap. xlvj.

Simoniacam peſtem ab Eccleſia Dei eliminari, atque repelli Sacrorum Canonum auctoritas, & Romanorum Pontificum Conſtitutiones diſtrictè præcipiunt. Quapropter nos à fideli Grege nobis commiſſo deteſta-

bile hoc ſcelus quam longe arcere cupientes; Parochos omnes per Ciuitatem, & Diœceſim noſtram, monemus, vt bis quotannis in celebrioribus feſtis publicè populo recitent tenorem communis extrauagantis fel. recor. Pauli Secundi, ac Conſtitutiones Pij Papæ Quarti, ſub Datũ XVI. Kalen. Nouembris 1564. & Pij Quinti ſub die prima Aprilis 1566. adhortantes omnes, ac ſingulos quomodolibet de hac prauitate conſcios, vt veritatem quantocius propalare debeant, cum non modo ij, qui ſcelus huiuſmodi committunt, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrant; & ſi Clerici fuerint à ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi, nec beneficiorum obtentorum fructus ſuos faciant, & ad illorum reſtitutionem teneantur. Verum etiam omnes, qui vti proxenetæ, & mediatores illam procurarunt, eodem excommunicationis laqueo irretiti ſint, nec abſolui poſſint, niſi à Romano Pontefice; præterquam in mortis articulo conſtituti.

Si verò reuelantes complices fuerint, & ex eorum reuelatione tale oriatur inditium, per quod participes tanti criminis valeant coerceri, ne dum veniam, ſed & gratiam à nobis conſequentur.

Animaduertant autem omnes, ac ſinguli criminis huius complices, quod, niſi facta reuelatione prædicta; abſolutionem obtinere nequeunt, etſi aliter eorum participatio detegatur, ſeuerius punientur.

De Vſuris. Cap. xlvij.

PAterna muneris noſtri cura nos admonet, vt ad charitatis opera, Chriſtianamque largitatem iugiter eos impellamus, qui ſubſtantiam mundi huius copioſè poſſident, & eos durè etiam increpemus, qui cum fratrem ſuum in neceſſitate viderint, pietatis tamen viſcera ab eo

clau-

Digitized by Google

clauſerint; quod vti Ioan. Apoſtolus teſtatur, ex eo procedit, quia charitas Dei non manet in illis. Agnoſcentes igitur hoc inhumanitatis vitio eos omnes præcipuè laborare, qui vſurariam prauitatem exercent, quæ immanitate ſua, & animas deuorat, & facultates exhaurit, illorumque ſaluti, quantum cum Deo poſſumus prouidere, ac pauperum inopiam ſubleuare, cupientes, diſtrictè præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, tam in Ciuitate, quàm in Diœceſi noſtra ſub excommunicationis pœna, vt ſi quos nouerint publicos vſurarios, eos ſtatim, cuiuſcumque gradus, & cōditionis exiſtant, ad nos nominatim deferant, Canonicis pœnis coercendos, ac puniendos.

Confeſſores quoque monemus, vt eos nullatenus abſoluant, niſi debita, ſi poſsint, ſatisfactione ſequuta.

Notariis ac Tabellionibus publicis ſub pœna iuxta Sacrorum Canonum formam, mandamus, ne illicitos cōtractus, quorum prauitatem ex conſcientia planè proſpiciunt, vel ſuſpicari facilè poſſunt, conficere audeant; cum ſæpè ſe id ſcire, vel noſcere diſſimulantes inſtrumenta, quæ in ſuperficie ſuſpitione carere videntur, venenum tamen latenter habent, ſtipulari præſumant, diuinam vltionem quam propterea incurrunt non pertimeſcentes.

Si quis verò in caſibus quibuſcumque, qui vſuram ſapiunt, & vt iniqui à iure prohibentur, contraxerit: Nos contractus ipſos, etiam iuramento vallatos, irritos, nullos, & inanes dicimus, ac declaramus. Contrahentes vero ac Notarij, & Tabelliones, nec non mediatores, & quicumque huius damnati lucri participes, omneſque alij vſurariæ prauitatis Miniſtri; & pœnis à iure ſtatutis, & Eccleſiaſticis cenſuris puniantur.

De Pu-

De Publicis Concubinarijs, & Meretricibus. Cap. xlviij.

ADulteri, Concubinarij, & Notorij fornicatores, qui in damnationis ſtatu viuere non verentur, & ſui ipſius abominabile præbent exemplum, ſi poſt paternam eorum Parochi correctionem, à turpi ſua vita non diſceſſerint: Mulieres quoque ſuo corpore pernitioſum quæſtum facientes, ſimiliter monitæ; ſi ad honeſtiorem redire vitam neglexerint, Nobis, ſeu Vicario noſtro per eoſdem Parochos nominatim denuntientur, quæ, & ab aliis honeſtis mulieribus ſecernantur, ac ſegregentur, & à Ciuitate, & Diœc. noſtra arceantur, aliiſque Canonicis pœnis puniantur, prout neceſſarium, & opportunum duxerimus; & vt ipſæ à laqueis diaboli liberentur, & cæteris fidelibus ſcandalo eſſe ceſſent.

Et quia inter alia malorum genera, quæ ex inceſtibus, Adulteriis, & aliis damnatis, & illicitis fornicationibus oriuntur, etiam infantium expoſitiones procedunt, quæ pietatis Domos indebitè grauant, propterea ſub excommunicationis pœna præcipimus omnibus, ac ſingulis, qui carnem ſuam deſpicientes, ſuos liberos impiè pietatis loco exponunt, cum eorum facultas ad eos alendos ſatis ſufficere poſſet, vt expenſas omnes, & damna, domui Pietatis reſarcire debeant, alioquin, donec illas integrè refecerint, ſeu cum dictæ domus Rectoribus compoſuerint, ab eorum confeſſoribus abſolui nullatenus poſſint.

De Iu-

De Iudæis. Cap. xlix.

NIhil Chriſtiano nomini tam inimicum eſt, atque contrarium, vt indurata malitia, & infœlix perfidia Iudæorum. Dum enim Chriſtiana pietas illos apud ſe benignè ſuſtinet, ij nobis aſsiduè pro gratia, contumeliam reddere ſtudent. Quamobrem ne ex vlteriori eorum familiaritate ſimplicium animi quoquo modo decipi, & ad eorum ſuperſtitiones, & errores declinari poſſint, diſtrictè præcipimus Chriſtianis omnibus noſtræ Diœceſis, ne ad Iudæorum conuiuia, nuptias, ſeu dies feſtos accedant, neve eorum ſeruitio, & famulatui aſſiduè pro aliqua mercede, ſeu alias quomodolibet ſe exponãt. neque apud ipſos cibum, aut potum capiant, etiam ſub prætextu, quod illis in diem, vel horam operas ſuas locauerint.

Mandamus etiam Macellarijs, & alijs quibuſcumque ne, quæuis animalia à Iudæis occiſa, ſeu, vt dicũt, ſciactata, vendant, ſeu tradant Chriſtianis, publicè, vel occultè, neve ipſi Chriſtiani dictorum animalium carnes emant, accipiant, & commedant, (prout alias à noſtris Prædeceſſoribus in ſynodalibus conſtitutionibus prohibitum fuit) penitus interdicimus. Præcipimus quoque, ne Chriſtianæ mulieres Iudæorũ nutrices in eorum domibus eſſe poſſint, nec extra eorum domos, niſi ex vrgenti neceſſitate nobis, ſeu Vicario noſtro probanda.

In omnibus contractibus, & negotijs, quæ Iudæi cum Chriſtianis habuerint in ſuis libris conſcribendis, vulgari ſermone, & litteris noſtris, non autem lingua, & characteribus Hebræis vtantur, alioquin eis nullum Ius, nullaque actio, aut exceptio, exinde oriatur.

Prædia Eccleſiaſtica, veſtes, vaſa, & alia ſacra, vel ad vſum Eccleſiæ deſtinata, ac bona quæcumque mobilia, & ſtabilia ad Eccleſias quomodolibet ſpectantia, & pertinen-

tinentia, Iudæis locari, vendi, pignori, ſeu alio quouis modo dari, vel tradi expreſſe prohibemus.

Inſuper ordinamus, ne Chriſtiani cum Iudæis in diebus feſtis per emptionem, & venditionem, ſeu aliter, contrahant quoquo modo. Neve in domibus, quæ Eccleſiis vicinæ ſunt, Iudæi habitēt, & ſi quos ad præſens in eis habitare contingat, intra certum terminum omnino arceantur.

In diebus autem lamentationis, & Dominicæ Paſſionis, in publicum prodire non audeant, & præſertim in die Paraſceues oſtia, vel feneſtras apertas non habeant, ſed clauſas teneant tota die, nec vnquam palàm, vel ſecreto, quicquam in contemptum Chriſtianæ fidei, & in contumeliam Creatoris committere, ſeu attentare præſumant.

Neque mulieres Iudææ cauſa fuci, & pigmētorum, aut ſe ornandi gratia à Chriſtianis mulieribus adhibeantur.

Edicimus pariter, ne Chriſtiani ad ſe accerſere poſſint Iudæos medendi cauſa, niſi à Sancta Sede Apoſtolica, ad hoc ſpecialiter approbatos, ac licentiatos, vt ex priuilegijs per S.D.N. Sixtum Quintum Hebræorum vniuerſitati conceſſis, iuxta formam in præallegatis priuilegiis contentam.

Iudęi viri Pileum, ſeu Biretum crocei coloris; Mulieres autem, impoſito aliquo capitis integumento pannum eiuſdem coloris ſemper ferant, omniaque alia faciant, ſeruent, & adimpleant, quæ in dictis priuilegiis, ac in aliis Summorum Pontificum, & præſertim Pij V. conſtitutionibus continentur, ac ſeruari mandantur.

Ad eas conciones Iudæi omnes iuſſi, & vocati conueniant, ad quas per prædicta eorum priuilegia conuenire tenentur. Verum Pueri, ac puellæ, ab eorum parentibus & aliis adultis ſeparatim, audiant concionatorem, qui illos familiariter inſtruat, & interrogantibus benignè ſatisfaciat. In quibus verò ſignum aliquod conuerſionis apparuerit, ij ab aliis ſeiuncti, in aliquam ad id aptam, &

para-

paratam domum deducantur, vbi diligentius omnia ad fidei Chriſtianæ eruditionem neceſſaria, & pertinentia doceantur. Et poſtea diligenter inſtructi, & examinati, præſertim ſi grandiores ſint, iuxta Sacrorum Canonum formam, & Sanctæ Matris Eccleſiæ ritum, obtenta prius à Nobis licentia, & non aliter, baptizentur. Deinde verò alicuius probi; Deique timorati viri cuſtodiæ aſſignẽtur, ſaltem per annum, qui illorum vitam optimis rationibus regendo, ac moderando, curet, vt Miſſam, Conciones, & Veſperas diebus feſtis audiant, aliis autem diebus aliquo exercitio, quo ſibi victum licitè quærere poſſint vtantur, neque cum Iudæis, vel cum illis Chriſtianis, quorum vita minus honeſta ſit, vllam omnino conſuetudinem habeant.

Iudæi ad fidem conuerſi omnia ſua bona, & ſi filij familias ſint, legitimam & quamcumque aliam bonorum portionem, eis iure debitam à Patre etiam viuente, habeant. Vel ſi mulieres fuerint, eis Dos à Marito reſtituatur, vnde ali poſsint ex conſtitutione Pauli III. in iis maximè, quæ circa facultates ex vſuris acquiſitas ab eodem ſtatuta ſunt. *Sub die 21. Martij 1542.*

De Iudiciali foro Epiſcopi. Cap. xlx.

ECcleſiaſtica benignitate dignum, atque decorum admodum exiſtimamus, vt negotia, & lites, quæ in Epiſcopali foro noſtro tractantur, non modo omnibus indifferenter ſincera iuſtitia, ſed pro pauperibus quàm maxima fieri poteſt breuitate terminentur. Mandamus itaque tam Vicario noſtro Generali, quàm aliis quibuſcũque curiæ noſtræ miniſtris, vt omnibus, ſed præcipuè miſerabilibus perſonis promptos, facileſque ſe præbeant, li-

Digitized by Google

tium anfractus amputent, & litigantiũ ſumptibus præſertim in cauſis piorum, alimentorũ, ac mercedum, quæ moram pati nequeunt, abſque etiam Iudiciaria tela, ſed veritati tantum, & æquitati innitendo ad expeditionem venire properent. Et ne pauperum iura indefenſa pereant, vel aduerſariorum potentia opprimantur, curet Vicarius noſter Generalis perſonis huiuſmodi Aduocatum peritum, ac fidelem aſsignare. Quod onus quiſque libenti animo pro ſua in pauperes charitate ſuſcipere debet; verum ſi quis abſq; rationabili cauſa illud renuere auſus fuerit; ex nũc eum, ad alia Eccleſiaſtica negotia tractanda inhabilem declaramus ad beneplacitum noſtrum.

Notarios, quos idem Vicarius minus idoneos nouerit, aut quoquo modo in officio deliquiſſe inuenerit, eos Sac. Conc. Trid. auctoritate, à negotiorum, litium, cauſarum Eccleſiaſticarum, & à ſpiritualium vſu remoueat. *Seſ.22.c.10*

Cauſarum ad Epiſcopalem Curiam pertinẽtium acta, & proceſſus, atque omnium pro Curia geſtorum inſtrumenta in authenticam formam redacta in Archiuio noſtro diligenter reponi, & aſſeruari faciat.

In cauſis appellationum omni diligentia curet, vt intra terminum ab eadem Tridentina Synodo ſtatutum, acta conſcribi debeant, & partibus, & petentibus exhiberi, ſub pœnis in eodem Decreto contentis. *Seſ.24.c.20*

Ne verò ſumptibus inutiliter partes prægrauentur, in appellationibus recipiendis, vel inhibitionibus concedendis illud obſeruet, quod ex præfati Conc. Decreto iubetur, animaduertens, ne appellationes non admittendas admittat, vel admittendas reijciat, ſicque iuſtam cõquerendi occaſionem alicui præbeat.

Carceres non ſolum Epiſcopales, ſed etiam ſeculares, quàm ſæpiſsimè viſitet, & accuratè inquirat non modo, quæ ad religionem, & Sacramentorum adminiſtrationem, ſed etiam quæ ad neceſſitatem vitæ pauperum carceribus detentorum opus eſſe cognouerit, & omninò

pro-

prouidere curet, ne maſculi cum fœminis, in eiſdem carceribus maneant, nec omittat in hoc charitatis opere auxilium, ac neceſſarium quemcumque fauorem eis impartiri.

Notarius, & Cancellarius Epiſcopalis Curiæ, carcerũ cuſtodes, & executores quicumque pro ſua mercede ea erunt pecuniæ ſumma contenti, ipſis & eorum vnicuique per nos aſsignata in taxa, quàm legitimam & honeſtam fieri curauimus.

Qui verò eam exceſſerit, & officij priuatione, & inhabilitatione punietur.

Cancellarius Curiæ noſtræ librum habeat, in quo diligenter conſcribat clericorum omnium, tam ſecularium, quàm regularium, qui à nobis ad aliquem ordinem, ſiue ex maioribus, ſiue ex minoribus ordinati fuerint, Nomina, Cognomina, patriam, Diœceſim, Diem, & Titulum Beneficij, vel Patrimonij &c.

De Funeribus, & Exequijs. Cap. xlxj. & vltimum.

VT vetus, & pium Inſtitutum, quo fidelium corpora in Cœmeteriis, & Eccleſiæ ſinu recondi ſolent; ordinatè, & ea, qua decet religione, agatur: Mandamus, cum funus aliquod curandum erit; vt omnes ad Parochialem Eccleſiam Defuncti conuenire debeant, ibique expectatis Canonicis, ac aliis Regularibus, & Sodalitatum Confratribus, qui vocati fuerint, vna omnes Crucis vexillum ſequentes graui, moderatoque greſſu, Canonici etiam Almutiam deferentes, congruo proceſſionis ordine ad mortui ædes veniant, & inde cadauer ad Eccleſiam, in qua humandum erit, omnes Religiosè proſequantur, accenſas candelas deferentes, & pſalmos, ac

alias ſtatutas præces canentes, nec ab Eccleſia quiſquam prius diſcedat; quàm ſolemnes præces, ac cærimoniæ omnes ſuper cadauer ex more abſoluantur. Quod ſi quis ſeruare neglexerit, nullum eleemoſinæ tunc diſtribuendæ partem accipiet. Et hoc idem in oppidis noſtræ Dioeceſis; cum funus obeundum erit, ſeruetur. Vt autem omnes auaritiæ ſordes ab hoc pietatis opere tollantur, caueant Curati, & Eccleſiarum Rectores, ne pro ſepulturis, pro hominibus ſepelliendis, & pro Anniuerſarijs agendis, quicquam velut debitum petant, vel paciſcantur, ſed tantum laudabilem loci conſuetudinem ſeruari curent, piaque legata exigant, & quæ eleemoſinæ cauſa vltro data fuerint, accipiant.

Quartam quoque funerum ex Sacr. Conc. Trid. decreto debitam perſolui faciant. Si contingat autem, vt defuncti hæredes, pium huiuſmodi exequiarum Inſtitutum negligentes, debitis exequiis impenſas exhibere renuant: Tunc Parochus id nobis, ſeu Vicario noſtro, in Ciuitate: In oppidis vero Vicario foraneo denũtiet, vt præfati hæredes iuxta ſuas facultates ad ea præſtanda compellantur, quæ ad honeſtũ eius rei vſum, neceſſaria erũt.

Pauperes, quibus nihil, aut parum ſupereſt, impenſa ſuæ Parochialis Eccleſiæ ſepelliantur.

Confratres in ſingulis ſocietatibus Pallium communibus eorum ſumptibus habere debeant, quod mortuo Confratri gratis commodetur.

Quia vero cœmeteria immunitate Eccleſiaſtica gaudent, & locus ille, in quo fidelium Defunctorum cineres continentur, terra Sancta eſt: Curatis omnibus præcipimus, vt ea vndique muro ſepta, clauſaque ſeruent, ita vt bruta animalia ingredi in ea non poſſint.

Morem multis in locis intermiſſum, mortuos in Cœmiterijs ſepelliendi, Parochi reſtituendum curent; nec ibi choreas duci, ſeu profana alia negotia à laicis tractari permittant.

Nemi-

Neminem in ſuis Eccleſijs ſepelliant, niſi in ſepulturis iam factis, noua verò ſepulchra, quibus pauimenta deturpantur, omnino prohibeantur.

Tumulos, quos depoſita vocant, amoueri faciant, nec ea in poſterum à quoquam fieri ſinant. Inter maioris Miſſæ celebrationem, tam in Ciuitate, quàm in oppidis, mortuum in Eccleſiam ferri prohibeant.

Campanæ ſignum in hac Ciuitate, & Diœceſi dari ſolitum, dum aliquis fidelis animam agit, quo cæteri fideles admoneantur, vt pro eó pias ad Deum præces effundant, commendantes: Hortamur omnes, & ſingulos, vt hoc Chriſtianæ pietatis opus ne intermittant, ſed maiori in dies deuotione obſeruare ſtudeant.

Pium ac laudabile Inſtitutum, in Cathedrali Eccleſia noſtra aliquandiù obſeruatum; poſtea intermiſſum renouantes, ſtatuimus, vt Sacra anniuerſaria, pro mortuo Epiſcopo quotannis fiant, quandiu proximus eius ſucceſſor Epiſcopus vixerit, ſumptibus Epiſcopi, & Capituli: Die verò immediatè ſequenti ſimiliter quotannis anniuerſaria celebrentur pro Canonicis, & aliis Defunctis Eccleſiæ Sacerdotibus.

Ne autem ex indebita teſtamentorum occultatione fidelium defunctorum animæ piis defraudentur ſuffragiis, per quæ refrigerium expectant: præcipimus ſub excommunicationis pœna omnibus Notariis, ac Tabellionibus publicis Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ, vt teſtamentorum, ſeu alterius rei tabulas publicas, quas confecerint, in quibus Eccleſiæ, ſeu alicui pio loco, aut certis perſonis pietatis cauſa quippiam donatũ, legatumve fuerit, intra dies decem, poſt illarum confectionem, nobis, ſeu Vicario noſtro Generali in Ciuitate, Vicariis autẽ Foraneis in oppidis, aut ijs quorum intererit nuntiare fideliter teneantur.

Hæc ſunt decreta, & Conſtitutiones, quas nos cum ea qua debemus obedientia, omnique humilitate ſanctæ Se-

dis

Digitized by Google

dis Apoſtolicæ Eccleſiarum omnium Matris, ac Magiſtræ,& Sanctiſsimi D.N. iudicio, Correctioni,& auctoritati ſubiicientes in hac noſtra Diœceſana Synodo, more maiorum habita, edicimus, ſancimus, & promulgamus, ab omnibuſque, tam Clericis, quàm laicis vtriuſque ſexus noſtræ Diœceſis Anagninæ, tanquam Synodales Conſtitutiones obſeruari poſt menſem vnum ab eorum affixione in Valuis Cathedralis Eccleſiæ noſtræ: præcipimus,& mandamus, ſub pœnis in eiſdem contentis, ac alijs Iuris,& arbitrij noſtri. Verum quia Sacr. Tridentinum Conc. alia multa decreuit, quorũ nulla in hac Diœceſana noſtra Synodo fit mentio, cum magis generalia, nec ad huius Diœceſis conditionem ſpectare, nobis viſa fuerint; ea tamen omnia, ſiue ad Doctrinam, ſiue ad Eccleſiaſticam reformationem, ac morum correptionem pertineant, cum his omnibus obſeruari pariter debere, declaramus, ac iubemus.

Ne autem harum noſtrarum Conſtitutionum obliuio aliquem capiat, curabunt Venerabiles Eccleſiæ noſtræ Canonici, eas in Capitulo quotannis primo Aduentus,& primo Quadrageſimæ Dominico Die, vt publice legantur, ac recitentur. Reliqui verò Eccleſiarum Rectores, & præſertim Curati, ad quos docendi, & inſtruendi Populos munus ſpectat, fideliter exſcriptas apud ſe habebunt,& quam ſæpiſſimè illas eiſdem fidelibus recitent: Deinde omnes ita eas in vſum inducere ſtudeant, vt qui viderint noſtram in Eccleſia bonam conuerſationem, Glorificent Deum, & Patrem D. N. IESV CHRISTI.

EXA-

EXAMINATORES

Pro admittendis ad curam Animarum, & Beneficia, ac promouendis ad ordines.

---

1 Reuer. & Ecc. D. Iacobus Antonius Colũbus I.V.D. Præpoſitus Anagninus, & D.S. Reuerendiſsimæ Vic. Gen.

2 R. D. Theologus Canonicus pro tempore.

3 R. D. Petrus Pelagatta Canonicus Anagninus, ac cæremoniarum Magiſter.

4 R. D. Veſpaſianus Aſtulfius Sac. Can. Doct. Canonicus Anagninus.

Digitized by Google

5 R. D. Euangeliſta Nardonius Sacr. Can. Doct. Canonicus Anagninus.

6 R. D. Sebaſtianus de Sebaſtianis I.V.D. Can. Anagninus.

IVDICES.

Quibus cauſæ delegandæ committantur.

1 Reuer. & Ecc. D. Iacobus Antonius Colũbus I.V.D. Præpoſitus Anagninus, & Vicarius Generalis.

2 R. D. Veſpaſianus Aſtulfius Sac. Can. D. Canon. Anag.

3 R. D. Euangeliſta Nardonius Sac. Can. D. Can. Anag.

4 R. D. Sebaſtianus de Sebaſtianis I.V.D. Canonicus Anag.

INDEX

INDEX CAPITVM,

QVAE IN HAC SYNODO

CONTINENTVR.

DE Profeſſione Fidei. pag. 7
De Hæreticis. pag. 11
De Libris prohibitis. 12
De Verbi Dei Prædicatione. ibid.
De Fidei initijs à Parocho tradendis. 14
De Lectione Theologica. pag. 15
De Scholis & Magiſtris. ibidem
De Sanctorum Reliquijs. 16
De Sacris Imaginibus. 17
De Sanctorum Geſtorum repræſentatione. ibid.
De Feſtorum Dierum Cultu. 18
De Ieiuniorum obſeruatione. 20
De Maleficijs, & incantationibus. 21
De Blaſphemia. 22
De oratione ter in die, & ſalutatione Angelica. 24
De Parochis, & Sacramentorũ adminiſtratione. ibi.
De Baptiſmo. 27
De Confirmatione. 28
De ſanctiſs. Euchariſtia. 29

M De

De Sacramento Pœnitentiæ. 32
De Extrema Vnctione. 36
De ordinis Sacramento. 37
De Sacramento Matrimonij. 39
De Sacrificio Miſſæ. 40
De ſacroſanctis Eccleſijs. 44
De vita, & honeſtate Clericorum. 46
De diuinis officiis. 50
De Præpoſito. 53
De Vicepræpoſitis. 54
De officio Sacriſtæ. ibid.
De Pœnitentiario. 56
De Curato Cathedralis Eccleſiæ. 57
De Cæremoniarum Magiſtro. ibid.
De Canonicis cantoribus. 58
De Clericis maioribus, & minoribus. 59
De Manſionarijs,& punctatoribus. ibid.
De Proceſſionibus, & ſupplicationibus. 61
De ſimplicibus Presbyteris,& clericis. ibid.
De Regularibus. 62
De Sanctimonialibus. 63
De Hoſpitalibus, & Confraternitatibus. 64
De Vicarijs Foraneis. 66
De Promouendis ad Parochiales,& eorum examine. 68
De rebus Eccleſię non vſurpandis,& de male alienatis recuperandis. 70
De excommunicatione. 74
De Simonia. 75
De Vſuris. 76
De publicis concubinarijs, & meretricibus. 78
De Iudæis. 79
De Iudiciali foro Epiſcopi. pag. 81
De Funeribus;& exequijs. 83.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

REGESTVM

A B C D E F G H I K L M.

Omnia ſunt foglia integra præter M. quæ eſt medium.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

R O M AE,

EX TYPOGRAPHIA EXTERNARVM LINGVARVM.

Apud Iacobum Lunam. Anno M D XCVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google